P. lu. 466 b

<36636802300017 S
<36636802300017
Bayer. Staatsbibliothek

INSTITUTIONES
PATHOLOGIAE MEDICINALIS

AUCTORE

H. D. GAUBIO.

ITIONEM TERTIAM EDIDIT

CVM ADDITAMENTIS

I RISTIAN. GOTTLIEB
ACKERMANN

MED. DOCT. ET PROF. ALTORFIN.

NORIMBERGAE
APVD E. C. GRATTENAUERVM.
MDCCLXXXVII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

L. S. D.
EDITOR.

Cum pathologiam elapſo anno auditoribus meis traderem, tertia inſtitutionum pathologiae medicinalis, a GAUBIO, *viro ſummo, conſcriptarum editio plurimo ſtudio, at fruſtraneo, in celeberrimis Germanorum bibliopoliis quaeſita ab auditoribus eſt. Eamque ob cauſſam rogauit me bibliopola, qui ſumtus ad hanc editionem ſuppeditauit, vt efficerem, ne inopia vtiliſſimi libri medicinae ſtudioſi in Germania diutius laborarent, tertiamque hanc atque recentiſſimam et pluribus acceſſionibus a b. Auctore atque* HAHNIO *locupletatam editionem recudi curarem. Gratiſſimum etiam id fore auditoribus meis intellexi. Indeque ſpero, non ingratos Tibi etiam fore,* Benevole Lector, *hos labores*

meos qualescunque, quos in tertia GAUBII *editione in lucem emittenda impendi* *).

Eo autem in hac editione adornanda inprimis re-ſpexi, vt textum accurate exhiberem, qualem GAUBIVS, *et poſt eum Clariſſimus vir,* IOANNES DAVID HAHN *dederant. Hinc in ipſo textu, praeter capituli de analyſi corporis humani chemica inſcriptionem aliam, quae commodior mihi viſa eſt, nihil penitus mutaui. Addidi autem quaedam, quae neceſſaria viſa ſunt, vt hae inſtitutiones pathologiae, perfectiſſimae hactenus omnium, quotquot prodiere, tyronibus vtiliores euaderent.*

Multa quidem in hoc opere mutari potuiſſent, imo forte et debuiſſent. Complures pathologicae doctrinae connexae admodum, nimis ſeparatae, atque quae conjunctim tractari debuiſſent, ſeorſim pertractatae; ſolidorum praeſertim atque fluidorum morbi tali fere modo enarrati, quaſi vix multa, aut ſaltim non tanta, quanta vere exiſtit, inter vtrosque connexio intercederet; mechanica, chemica principia nimis copioſe, nec vbiuis congrue ſatis ſtabilita et ad corporis humani aegritudines applicata, textus variis in locis correctionem atque mutationem quandam non tu-liſſent

*) *Prodiit haec editio Leidae Batavorum, apud Samuel. et Io. Luchtmanns,* 1781. *in* 8vo.

lissent solum, verum requisiuissent forte. Multa praesertim in doctrina de fluidorum morbis, plurima vero in capitulo de morbosis humorum acritatibus mutanda fuissent, quaedam etiam in capite de solidi viui morbis. At omnia perpendens, magis probaturos lectores labores meos credidi, si in ipso textu nihil mutarem Quaedam enim vix alio modo mutari potuissent, nisi ordine alio rerum pertractandarum recepto, alia non, nisi integris capitulis ad temporum nostrorum doctrinam mutatis. Aliis incertis sine dubio, noua, verum, si non aeque incerta, saltim nondum extra omne dubium posita, substitui debuissent.

Addidi vero plura. Alia illustrando Auctori inseruientia, vbi obscurus nimis videbatur, eaque parca admodum, alia, quae recentiorum industria atque in experimentis atque obseruationibus felicitas detexit, inuenit, illustrauit, amplificauit, ex parte etiam confutauit, eaque prioribus longe copiosiora. Receptas ab Auctore doctrinas vbique seruaui, quibus, si dubiae videbantur, recentiores, credibilioresque intexui, addidi. Plura, fateor, addere potuissem. At opus erat, vt praelectionibus plurima reseruarentur. Multa etiam, quae medicam doctrinam nostri temporis ingressa sunt, nondum penitus euicta, neque talia sunt, vt tyronibus ceu certa atque indubitata proponi possint, et haec commodius in praelectionibus proponuntur, exponuntur,

 con-

confutantur omnia. Habent praeterea hi GAUBII *labores consummatissimi atque politissimi id, quo omnia alia pathologicae scientiae compendia et alius cujuscunque scientiae medicae plurima superant, vt tot pondera in iis, quot verba sint, nec addi plurima possint, quoniam omnia, quae in compendio doctrinae cujusdam dici debent, ab Auctore jam dicta sunt. Sic in capite etiam de morbis solidi viui, recentiorum industria tantopere illustrato, si vocum non confusionem, sed alias, quas iis adjunxit Auctor, ideas detrahis, vix certa multa erunt atque doctrinae pathologicae compendio accommodata, quae desideres.*

Vt autem lector, quae GAUBIVS *dixit, et quae ipse addidi, distinguere possit, curaui, vt mea literarum formis a textu diuersis imprimerentur. Nec numerum paragraphorum vllo modo mutaui, curaui autem, vt correctus et a typographicis erroribus, quantum fieri potuit, immunis liber prodiret.*

Caeterum vbi intellexero hunc laborem commodi atque exoptati vsus lectoribus esse, mihi gratulabor admodum. Dabam Altorfii, d. 5. *mens. Iul.* 1787.

IOHAN-

JOHANNES DAVID HAHN
LECTORI S.

Hieronymus David Gaubius, Vir et nominis et meritorum amplitudine illuſtris, III. Calend. Decembris proximi, ex hominum conſpectu deceſſit, memoria nunquam excidet. Hujus Viri mors etſi non poteſt praematura dici, (ſexto enim poſt ſeptuageſimum aetatis anno, publici in Academia Batava muneris quinquageſimo obiit,) fuit tamen inopinata, cum animi corporisque firmitas, quam anni et labores perparum in eo minuerant, atque perpetua vitae modeſtia ſpem feciſſent conceſſae nobis divina clementia in aevum neſtoreum tanti boni poſſeſſionis; — fuit praecipitata, adeo ut etiam inteſtatus abierit, ſiquidem febris tritaeophyes vegetum Senem ex improviſo adorta, initiali lenitate fefellit, mox in leipyriam verſa, expugnata etiam mentis arce, brevi acutorum morborum ſpatio, oppreſſit; — fuit denique ad dolorem acerbiſſima, non tantum Proximis, Familiaribus, Amicis, mihique nominatim, qui in eo uno colendo patriam ſanctitatem ab ineunte aetate habui conſtitutam, ſed etiam Academiae, Urbi, Principibus Reipublicae Viris, innumerabilibus omnium ordinum ac locorum hominibus, qui conſilio ejus et explorata

ſapientia maxime confidebant — Medicinalium vero artium Cupidis ac Studioſis non modo luctum attulit, ſed etiam detrimentum et jacturam rei litterariae. Praeterquam enim quod ſemper durum eſt, tanto Doctore ac Lumine orbari, cui neminem ex parte academica anteponendum, paucos comparandos habemus, erat etiam magna apud omnes exſpectatio fructuum ex litteratiſſima ſenectute et plena ſcientiae ac judicii maturitate percipiendorum; praeſertim poſtquam publici in Academia muneris vacationem nactus, vi nulla interpellante poterat ea conſiderare et tractare, quorum uſum omnibus voluptatibus anteponebat; horum autem pleraque ejus erant generis, ut ad artium ac doctrinarum utilium amplificationem tenderent. Nec ſane dubium eſt, quin, ſi votis noſtris annuiſſet Numen eumque inter homines diutius ſiviſſet morari, dona quaedam litteraria in uſum publicum elargiturus fuiſſet. Nolebat enim committere, ut otium, quo fruebatur, utilitati publicae, cui ſe devoverat, multum detraheret. Itaque nec recuſabat inter ferias ſeniles, quo minus vel adiretur a Conſultatoribus vel ipſe adiret aegros, nec ſtudia litterarum intermittebat, neque animum erga Medicinae Cultores benevolentiſſimum, quem ſemper habuit, elangueſcere patiebatur. Atque hanc ſuae voluntatis conſtantiam eo maxime declaravit, quod cum nova Inſtitutionum Pathologicarum editio flagitaretur, libri hujus non modo recognoſcendi ſed perpoliendi augendique laborem extremo vitae anno lubens ſuſceperit. Utinam perficere ipſi licuiſſet! Multum certe lucrata eſſet Respublica medicinalis, et permultum ex moerore meo eſ-

ſet

ſet diminutum, quem quippe recenſus chartarum quieſcere non ſivit, et praefandi neceſſitas cum maxime renovat atque auget. Quae res duae, ſi ex opera impendenda aeſtimentur, admodum leves facilesque ſunt, ſi ex mea voluntate, prorſus nihili; ſed ea eſt imbecillitas mea, ut cogitare de amiſſo Avunculo nequeam, nedum ſcribere, quin animi corporisque commotionem conſilio et actioni adverſariam in me experiar: cui ſuperandae neſcio an unquam par ſim futurus, nunc me imparem eſſe confiteor, ideoque ea tantum, quae ad hunc librum pertinent, cum differri nequeant, breviſſime exponam; caetera, de quibus ſcio Viros quosdam clariſſimos et multum me diſertiores brevi dicturos eſſe, praeteribo, praeſertim quoniam nec locus hic ſatis eſt aptus, nec ego Manuſcriptorum a diligentiſſimo Sene relictorum rationem, quam multi a me jam poſtularunt, reddere poſſum; quorum quippe copia mihi nondum data eſt.

Cum ergo illuſtria GAUBII facta ſunt plurima, tum vero nullum eſt vel fama celebrius vel re utilius, quam Syſtema Pathologicum, quod anno 1758. edidit. Erat antea in Pathologicis BOERHAAVIUM ducem ſecutus. At vero magni hujus Viri quanquam ſummus et admirator et imitator ſemper fuit, doctrinam tamen de morbis, diu multumque meditatus commentatusque, non ſatis ad uſum activae Medicinae comparatam eſſe intellexit. Habet enim quendam praeciſionis et abſtractionis logicae quaſi exceſſum, oſtenditque Auctorem *ſimplex*, quod dicere ſolebat, *veritatis ſigillum*, latiore, quam par eſt, ſenſu ſumſiſſe;

ſiſſe; ſiquidem arte quaeſita ſimplicitas non ſemper ſimplicitati Naturae veritatique reſpondet, et theoreticam inter atque practicam ſimplicitatem plurimum intereſt. Adhaec multae poſt mortem BOERHAAVII et magni momenti res, ad cognitionem Naturae humanae pertinentes, detectae demum ſunt, et praecipuae, quae vitam, motum, ſenſumque efficiunt, vires accuratius exploratae. Itaque GAUBIUS, auctoritati Praeceptoris nihil detrahens, ſed perpetuo ejus edicto de propaganda et perficienda arte parens, ſui et officii et fidei eſſe duxit, curare, ut Pathologia reformaretur. Atque hoc conſilium, veritatis et utilitatis publicae cauſſa initum, ita eſt exſecutus, ut ejus inſtitutiones conſentientem omnium de rebus medicinalibus bene judicantium laudem meruerint, et incorrupta etiam ſeveriſſimorum Cenſorum voce omnibus omnium aetatum ſcriptis in hoc genere ſuperiores habitae ſint et magna cum commendatione celebratae.

Dehinc GAUBIUS noſter inter *Auctores claſſicos* eſſe coepit, et hic ejus liber in pleraſque Medicorum Scholas introductus, Docentium pariter ac Diſcentium ſtudiis inſerviendo, ita ſe approbavit, ut maximam apud omnes auctoritatem habeat, et ad eum, tanquam ad oraculum Hippocraticum, ſaepiſſime ſoleat provocari. Eſtque profecto ex raris libris unus, quem qui legunt, quo peritiores ſunt rerum ac ſcriptorum uſu, hoc magis admirentur. Quam multa, quam paucis! Nec tamen Lectorem laborioſa fatigat brevitate, nec nihil ei relinquit, quod per ſe velit intenta mente eruiſſe. Neque vero verbis minus

nus quam rebus placet. Quem proinde Tirones, ſi modo neceſſariis ad percipiendam Pathologiam artibus informati fuerint, haud difficulter intelligunt, et ipſi artis Magiſtri avida reſumunt manu, nec repetita ſaepius lectione ſaturitatis moleſtiam experiuntur.

Hoc igitur opere edito cum Rempublicam litterariam, tanquam divino beneficio, affeciſſet, ſibi tamen haudquaquam ſatisfecit, faſſusque eſt in praefatione ad ſecundam editionem, licet emendatam et locis aliquot auctam: *lacunas in ſuo ſyſtemate multàs magnasque eſſe, paſſim etiam nonnulla reſcindenda ſibi videri, ſi ad hunc laborem redire daretur.* — Rediit, ſed paullo ſerius quam oportuiſſet, ut ſummam propoſiti promiſſique compleret. Neque enim facilis erat labor, nec ſane jucundus, praeſertim cum cavere vellet, ne ordinis ac ſectionum immutatione moleſtiam faceret illis, qui hoc libro diu ſunt uſi, aut in ejus interpretatione adhuc verſantur. Accidit etiam huic Viro, quod magnis ingeniis familiare eſt, ut multo ante meditaretur quam ſcriberet, nec anxie praepararet, ſi quid edere deſtinaverit, ſed ubertate ſua confiſus impetum exſpectaret, quem temporis rerumque neceſſitas cieat. — Ita factum eſt, ut abſolutionem operis mors anteverterit, quae quippe in recognoſcendis corrigendisque chartis occupatum ſuſtulit, cum operae ad p.236. (*edit. noſtrae*) perveniſſent. Reliqua, quibus extremam manum non admoverat, ego ad fidem codicis, quo in praelectionibus uti ſolebat, typis exſcribenda curavi; ideoque nihil habent, quo a priore editione differant, praeter leviſſimas et perpaucas inter-

terpolationes, ab ipſo Auctore in textu notatas. — Etenim nefas eſſe duxi, vel adjicere quidquam vel detrahere. Quanquam non eſt ignotus mihi Auctoris ſenſus, quo nonnulla, ut paullo ante dixi, a ſe reſciſſum forſan iri ſcripſerat. Sunt enim quaedam ingenio magis ac ſermonibus quam uſui accommodata. Sed haec cum numero pauca, tum minime, ut opinor, ſupervacua ſunt; ſiquidem de rebus, quarum non eſt certa ſcientia, docte et probabiliter diſſerere, haud infima Medici laus eſt, et ad ipſas morborum curationes quandoque etiam multum valet. — Quodſi forte loca quaedam, in poſthuma huius editionis parte, non omnino conſonare illius, quae Auctor in priore immutavit, acute cernentibus videantur, facile ad hujus normam exigi et emendari poterunt — Gravius hoc eſt, nec ſinè doloris ſenſu memorandum, quod ſpem Auctarii mors fruſtrata ſit. Etſi enim in praefatione ſecundae editionis de Auctario negavit ſe cogitare, poſterioribus tamen curis ejus et neceſſitatem agnovit et exſpectationem nobis fecit. Non loquor de Semiotica, nobili Pathologiae parte, quam pariter ac caeteras magno ſtudio et labore excoluit, cujus eximia in lectionibus publicis ſpecimina ante multos annos dedit, habuitque plenius elaborandae propoſitum; a quo tamen poſtea averſus fuiſſe videtur. Sed alia ſunt, cum hoc inſtituto proxime conjuncta, quae cum in prioribus editionibus omiſſa eſſent, huic deëſſe nolebat. Deſiderantur enim praeter alia Febrium et Inflammationum theoriae, quarum acceſſione, dubium non eſt, quin nos locupletaſſet, ſi in recognitionis opere progredi usque ad loca his titulis apta ipſi

con-

contigiſſet. Hanc ergo lucri litterarii ſpem, morte nobis ereptam, dum graviter dolemus, utpote rei medicinalis haud levem jacturam, conſolari nos debet recordatio multorum magnorumque bonorum, quae ab ipſo profecta ſunt, quibus etiam innumerabilium ejus Diſcipulorum opera per omnes orbis terrae partes diſſeminatis, cum noſtra aetas fruitur, tum poſteri gaudebunt. Atque hic liber, tametſi voto et voluntati Auctoris non ex toto reſpondet, pulcerrimum eſt firmiſſimumque Genii Gaubiani monumentum, ad perpetuandam excellentis Viri et diſciplinam et gloriam, marmore et aere valentius. *Lugduni Batavor.* Calend. Julii MDCCLXXXI.



AUCTORIS PRAEFATIO
AD EDITIONEM SECUNDAM.

AUDITORIBUS SUIS
H. D. GAUBIUS.
S. P. D.

Quo vobis animo primam hujus opuſculi editionem obtuli, eodem et alteram nunc offero dicoque, curis ſecundis utcunque emendatiorem et paucis aliquot locis auctam. Debuiſſet, fateor, magis expolita prodire; ut qui agnoſcam ipſe non uno vitio laborare. Obſcuritatem certe intulit materiae conciſa dictione exponendae multitudo, plurimaque facile fuiſſet interſerere, quae lumen adhiberent. Sed voluminis rationem in enchiridio, ad inſtitutionis domeſticae uſum deſtinato, habendam eſſe, quis non intelligit? Eoque magis, cum viva auctoris vox illuſtrationem promittat. Illud gravius videri poſſit, quod lacunas mei ſyſtematis bene multas magnasque, quaſi non viderim, explere praetermiſi. Equidem vidi et cum maxime video, nec inficior plura me ſilentio praeteriiſſe, in quibus Pathologi plerumque exercere ingenium ſolent; alia dubitanter propoſuiſſe, quae tanquam certa aſſumun-

muntur; alia in medio reliquiſſe, de quibus cum inter Doctores controverſia ſit, ſententiam dicere oportuiſſet; multoties denique, cum enodatio requiri poterat, confeſſionem ignorantiae pro ratione attuliſſe. Quae ſi vos, optimi Auditores, ſi ceteros, qui forte fuerunt, lectores meos offenderunt, non tam remedium quaero, quam juſtam excuſationem in promptu habeo.

Nimirum, quod vobis ſaepe dixi, quia dicendum eſt ſaepius, repeto, exiſtimare me, quidquid in Pathologia, i. e. in ſtatus morboſi hominis Theoria docetur, ejus aliquam debere in Praxi, quam vocant, Medicinali eſſe utilitatem, qua cognoſcendi curandique morbos ratio perficiatur; nec idcirco ad medendi artem, ex ſe nimio latius patentem, temere eſſe referenda, quae nihil ad eam pertineant. Neque hoc ſolummodo: ſed multo etiam magis in eo elaborandum eſſe, ut ejusmodi tantum proponantur theoremata, de quorum veritate per fideles obſervationes legitimumque ratiocinium, ſola Medicinae Dogmaticae fundamenta, liquido conſtet; atque adeo exulent, quaecunque incerta, dubia, fallacia, ex mera hypotheſi ducta, certam parere ſcientiam nequeant; ſaltem pro talibus modo, qualia revera ſunt, nec ultra pretium ſuum venditentur. Novi equidem iſta ſaepenumero credulae juventuti perplacere, avide arripi, mordicus teneri, maxime cum ingenioſe conficta, dextre perpolita, ſcientifica, ut ajunt, methodo, aut perſuaſoria elocutione confidenter a Doctore exponuntur. Scilicet pulcrum eſt rerum quarumvis reddere rationem poſſe, nodos difficiles ingenii acumine ſolvere, locis obſcuris, ubi prudentia, errorem aut praecipitium metuens, timido pede incedit gradumve ſiſtit, ſolem quaſi manibus

bus

bus gestare: pulcrius etiam, quae sensuum aciem cautaeque rationis solertiam fugiunt, naturae arcana coniecturis et quadam veluti divinatione explicare, ut qui per somnium detegat, quod vigilanti incomprehensibile sit: pulcerrimum denique, systema concinnare atque apponere totum teres, rotundum, omnibusque numeris absolutum, in quo tirones nihil non exaequatum inveniant. Laudarem et ego, si morbi opinionum commentis cederent; si quo loquacior Medicus, eo perfectior esset, si ad hypothesin sese natura flecti fingique sineret: saltem ferenda putarem, si sola Medicum contemplatio faceret, neque cum Praxi Theoria aliquid haberet commune, suisve erroribus, sibi servatis, morborum curationes non contaminaret. Verum nimis profecto manifestum est, quamplurima, nec parvi momenti, mala ex hoc fonte in artium praestantissimam invehi. Quodsi tristissimas mecum reputo, quae ex incauto pertinacique hypothesium atque falsorum dogmatum usu in facienda Medicina profluunt, consecutiones, tot sanitates perverso regimine pessumdatas, tot morbos incongrua medicatione in longum protractos, tot illatas mortes; non sine animi dolore quandoque dubius haereo, plus ne emolumenti, an noxae, humano generi medendi scientia afferat. Sed mitto haec, ne ejus osoribus nimio plus instructis arma ministrem. Illud autem hujus loci est meique muneris, ut vos moneam, dum in Academia, tanquam in doctrinarum emporio, versamini, quam quisque sibi studio ac labore comparet, suppellectilem non tam multitudine rerum, quam soliditate et ad usum praestantia, esse aestimandam; ne domum reduces impedimenta potius, quam instrumenta ad operis tractationem vobis ad manum esse doleatis. Praeterquam enim quod valde injucundum sit ex iis,

quae

quae magna plurium annorum industria tibi paraveris, nullos percipere fructus oleumque et operam perdere, est et plerisque perdifficile, quae adolescentes didicerint, aetate maturiore dediscere. Quo fit, ut, posito tandem tirocinio, Praxin ineuntes ad falsa futiliaque, quibus imbuti sunt, theoremata, tanquam ad saxum, adhaerescant, acriter ea defendant, caecique ad experientiae lucem, nec argumentorum pondere mobiles, rerum peritis garrulitate sua risum, arrogantia etiam indignationem moveant. Hi tamen veniam merentur atque miserationem. Sed quanam probabilis excusationis specie infidi illorum duces, quam sibi imputare debent, istius sortis culpam abstergeant, ipsi viderint. Utinam et ars id genus artificum peccata luere non cogeretur! Etenim, ne dicam in contemptionem, qua satis superque laborat, adduci, damnosius hoc est, quod masculum illud observandi studium, veteribus tantopere excultum, a quo cum inter initia deducta et deinceps aucta est Medicina, tum hodieque incrementa capere ac perfici debet, tanto fere magis frigescat, quanto ratiocinatorum ejusmodi fervidior est ad argutandum pruritus atque in fingendis hypothesibus licentia effrenatior. Animus quippe, suis ipse commentis pollens, extraneo sensuum ministerio facile caret negligitque adeo nimis operosam naturae explorationem; aut praeceps oculo fugitivo observata ratione statim inventa explicanda sic sibi commode satisfacit; alias et praejudicata captus opinione phaenomena, nec quomodo sese habeant, curiose inquirit, nec omnia et singula notat, sed ex multis illa tantum, quae hypothesi faveant, praecoxve ratiocinium confirment. Quae res cum universae scientiae incredibiliter officit, tum vero inprimis impedimento est ad perfectionem historiae morborum,

quam uti Theoria artis rationalis integerrimam desiderat, ita qui lacunas ejusdem opinionibus explere non verentur, cum et incerta pro certis interserant, et, naevis fuco duntaxat tectis, falsa absoluti operis persuasione stimulum ad ulteriores conatus obtundant, duplici calamitate proprium fundum afficiunt.


Neque hic malorum finis est. Perspicaciores alii, postquam a contemplatione ad res tractandas sese contulerunt, serius ocyus disciplinae suorum magistrorum vitia quidem animadvertunt atque cordate adjiciunt; non omnes tamen ea, qua decet, prudentia et moderatione. Videas certe, qui cum in sua et quibusvis aliorum Theoriis inutilia, dubia, falsa inesse deprehendunt, inconsiderate mox clamitant, nullam dari Medicinae Theoriam, quae fidem mereatur, inutiles igitur omnes esse, frustraque aut desiderari, aut adhiberi: artem enim rationalem, quae salutifera sit, jactari quidem, neutiquam existere, missisque adeo Theoriis Ἐμπειρίᾳ *acquiescendum esse, quae viam monstret tutiorem. Dissimulant hi, aut ignorant, inter multiplices Theorias vix unam esse tam omni ex parte falsam, ut non aliquid veri habeat; in eo maxime peccari, quod certis incerta misceantur, et quae nonnullis modo morborum generibus competunt, ultra, quam par est, extendi ceterisque omnibus perperam accommodari. Triticum itaque, quod a lolio duntaxat repurgandum erat, barbaro impetu una cum hoc evellunt, et cum recolere deberent, quantos Theoria progressus inde ab institutione Medicinae rationalis ad nostra usque tempora continuatis clarorum virorum laboribus fecerit, acceptique beneficii memores suis et ipsi conatibus incrementum ulterius promovere, partis recusant bonis frui ac repudiatis veluti,*

quae

quae offeruntur, frugibus, quia glumis et furfuribus obnoxiae ſunt, ad glandes malunt reverti. Longe ſapientius eſt, quod ſuo iam tum aevo Corn. Celſus judicium interpoſuit, cum de rationalis et empiricae artis ſectatorum diſſenſione ageret: neque profecto credibile eſt, praeſtantiſſimos illos veteris Ἐμπειρίας *profeſſores, ſi cum maxime ad vitam redirent, aliter fore ſenſuros. Tanto igitur imprudentius videri conſilium debet recentiorum, qui hodiernam Theoriam, tot fultam adminiculis, tot incrementis auctam, cum* Ἐμπειρία *commutandam eſſe contendunt. Quodſi enim temerariae vulgarium Empiricorum, id eſt agyrtarum, turbae ſeſe addicere in animo habent, quid probroſius? Si vero Empiricen rationalem excolere, quae experientiae ita rationem adiungat, ut cujusvis generis doctrinarum, quae lumen afferre queant, apparatu adjuta, ex certis curateque factis experimentis et obſervationibus, caſti ope ratiocinii, eliciat, quaecunque ad rem Medici pertineant, quid magis ridiculum eſt, quam nomine ſolum mutato eandem proponere diſciplinam, quae nobis ſano ſenſu Theoria audit?*

Sed taedioſum foret et ab inſtituto meo alienum iſti materiae diutius immorari. Neque enim alio haec in medium protuli, niſi ut illud primum intelligeretis, Theoriam opinionum commentis conſarcinatam fucoque hypotheſium expolitam, etſi ſpecioſo habitu incautis arrideat, non ſolum uſu carere, ſed multis etiam modis cum arti, tum artifici, obeſſe: dein et hoc, quamobrem, quod initio lacunoſum vobis ſyſtema propoſui, nunc denuo ſui ſimile, neque completius, exhibeam. Equidem candide dicam, plura me indies, dum in artis uſu verſor, dediſce-

re, quam diſcere, et increſcente aetate minui mihi potius, quam augeri ſcientiam, tantumque abeſſe, ut de auctario cogitem, ut etiam, ſi ad hunc laborem redire unquam dabitur, nonnulla forſan a me reſciſſum iri credam. Valete! D. Leidae Batav. CIƆIƆCCLXIII.



OPE-

OPERIS ARGUMENTA.

INTRODUCTIO ad PATHOLOGIAM.
De diſciplina medica. *pag.* 1
PATHOLOGIA. 10
PATHOLOGIA GENERALIS.
De natura morbi. 11
De cauſa morbi. 19
De ſymptomate. 32
PATHOLOGIA SPECIALIS.
De naturis ſingulorum morborum. 48
Morbi ſimpliciores. 50
Partes, quibus humanum corpus conſtituitur. 52
Morbi partium ſolidarum ſimpliciſſimi. 62
Morbi ſolidi vivi. 71
Morbi ſolidorum continentium. 83
Morbi ſolidorum inſtrumentarii. 98
Morbi fluidorum. 135
Morbi cohaerentiae in humoribus. 137
Acritates morboſae humorum. 146
Morbi humorum ex vitiata fluidi cum ſpiſſo cohaeſione. 159

pag.

Morbi humorum ſingulorum. 162
Chyli vitia. ibid.
Lactis Dyſcraſiae. 167
Sanguinis affectiones. 169
Succorum ſecretorum vitia. 188
Morbi humorum relativi. 201
Quantitas humorum vitiata. ibid.
Fluida loco aberrantia. 209
Motus vitia in humoribus. 217
Morbi compoſiti. 225
De potentiis nocentibus. 227
De nocivis atmoſphaerae poteſtatibus. 228
Noxae ex cibo et potu. 248
De intempeſtivo remediorum uſu. 267
De potentiis, quae virus habent. 271
Errores in motu animali. 280
Damna ex poſituris et motibus ſingularibus. 289
Exercitationes mentis immodicae. 292
Vis noxia animi perturbationum. 297
Exceſſus ſomni ac vigiliarum. 303
Excretio ac retentio inordinata. 307
De calculi origine et nocumentis 315
Potentiae morbificae animatae. 321
De ceteris, quae forinſecus admota obſunt. 328
De Seminiis morborum. 334
Seminia morborum naturalia, communia. 335
Seminia morborum naturalia, propria. 336
Seminia morborum, quae praeter naturam ſunt. 339

De

pag.

De differenti caufarum morbificarum conftitutione. 342
Vires naturae medicatrices. 347
De fymptomatibus fingulatim. 356
Qualitates fenfibiles alienatae. 358
Excretorum vitia. 363
Actiones laefae. 364
Senfationes moleftae ex morbo. 365
Dolor. 366
Anxietas. 373
Exercitationes fenfuum laefae. 378
Tactus fymptomata. 379
Guftus fymptomata. 381
Olfactus fymptomata. 383
Auditus fymptomata. 385
Vifus fymptomata. 390
Laefiones fenfuum internorum. 401
Delirium. 402
Motricis facultatis fymptomata. 408
Spafmus. 409
Paralyfis. 413
Somni affectiones. 415
Symptomata motuum vitalium. 419
Refpirationis fymptomata. ibid.
Symptomata motus cordis. 428
Symptomata pulfus arteriarum. 430
Symptomata actionum naturalium. 435
Appetitum naturalium laefiones. 436
Actiones laefae primarum viarum. 440
Vitia mictionis. 452
Vitia excretionis cutaneae. 458

Sym-

pag.

Symptomata functionum ſexus. 459
Sexus virilis actiones laeſae. ibid.
Sexus foeminei ſymptomata. 462

De ordinandis morborum differentiis. 469

Differentiae morborum accidentales. 471
Differentiae morborum ab origine. 472
Differentiae morborum a ſede. 479
Differentiae morborum a curſu. 482
Differentiae morborum a gradu. 485
Differentiae morborum ab indole. 487
Differentiae morborum ab eventu. 489

INTRODVCTIO
AD
PATHOLOGIAM.

De Disciplina Medica.

I.

VITA, Sanitas, Morbus, Mors, stadium medicum Naturae humanae in hoc terrarum orbe absolvunt.

2. Priores duae conditiones (1) Medicis secundum naturam dicuntur; cum iisdem frui dulce sit: praeter, aut contra naturam reliquae, illis oppositae, illaetabiles, quas ideo aversamur.

3. Utrumque tamen genus (2), pro latiore vocabuli Natura significatu, naturale est, et suas quodque agnoscit causas viresque physicas, determinatas, quibus nascitur, durat, viget, minuitur,

 desi-

desinit, secundum cujusque diversitatem alias atque alias, etiam contrarias, tum homini insitas, tum a foris advenientes.

4. Mens quidem humana, vi commercii, quod cum suo corpore habet, multa et voluntate conscia, et caeco instinctu, operatur, quae vitam ac sanitatem juvant, morbisve aut morte illatis opprimunt.

5. In corpore etiam, pro partium, ex quibus coaluit, mixtione, cohaesione, fabricatione, compositione, animatione, *viribus*, inest et inertia, et mobilitas, et mutabilitas, et incitatio, *et oppressio*, et conspiratio; unde aliae atque aliae tam salubres, quam insalubres, causae jugiter enascuntur.

6. Versatur praeterea homo inter res naturales, innumeras, diversissimas, sua singulas agendi potestate praeditas, multumque perpetuo variantes, quarum aliis carere, alias evitare, aut pro arbitrio sibi accommodare semper non potest. Hae vero sive intro deveniant, sive foris admoveantur, pro sua quaeque materie, virtute, concursione, successione, corpus, perque corpus mentem aliter atque aliter afficiunt, internas natu-

naturae humanae vires (4. 5.) diversimode determinant, incitant, opprimunt, in rectum perversumve agunt, suasque vicissim ab his mutationes patiuntur. Ex quo fonte plurimi perpetim secundae adversaeque valetudinis fomites, alimenta, venena, remedia, profluunt.

7. Triplex istud virium genus (4. 5. 6.) sicubi lege oeconomiae humanae consentanea conspiraverit, vegeta longaevitate fruitur homo: sin minus; morbis aut praematura morte affligitur.

8. Atque haec materies est, quam tractat Medicus, eo quidem proposito, ut hominem suae curae commissum justo moderamine virium (7.) quam diutissime vivum sanumque praestet.

9. MEDICINA igitur, quo hodie colitur ambitu, est scientia et prudens directio virium naturae humanae (4. 5.) ope praesidiorum naturalium (6.) ad vitae et sanitatis a morbis et morte tutelam.

10. Ea (9.) cum olim aegris duntaxat sanitatem promiserat, ampliata deinceps, erga sanos quoque benefica, duplex cum maxime imponit Medico officium, alterum servandae vitae et sanitatis, alterum morborum curandorum.

11. Debet adeo exponere I. Conditionum hominis, in quibus aut conſervandis, aut avertendis verſatur (1. 9.), naturam, cauſas, ſedes, differentes modos, gradus, effectus. II. Vires naturae humanae utrique principio inditas (4. 5.) conſervatrices, deſtructrices, medicatrices. III. Poteſtates rerum externarum ſalubres, noxias, medicatas (6.). IV. Regulas denique et praecepta his (III.) utendi, illas (II.) dirigendi ita, ut finis Medico propoſitus (8. 10.) obtineatur.

12. Quando autem generalis iſtorum omnium (11.) doctrina non ſufficit, ſed ad ſingulos etiam homines, prout aetate, ſexu, temperamento, vitae genere etc. inter ſe diſcrepant, aptari debet; manifeſtum eſt, quam late pateat diſciplina Medica.

13. Quae materiae pertractandae multitudo cum juſtum exigat ordinem, is quidem commodiſſimus videtur, qui ex diverſitate conditionum (2.) duplicique Medici officio (10.) petitus, quaecunque in homine ſano cognoſcenda aut agenda ſunt, ſuo quaevis loco diſpoſita, primum enarrat; ſubjungit deinde,

de, quae ad aegrum pertinent, omnia et ſingula rite digeſta.

14. Univerſum proinde ſyſtema Inſtitutionum Medicinae in duas partes diſtribuitur, quarum prior doctrinam omnem de rebus, quae ſecundum naturam (2.) in homine inſunt, exhibet; poſterior de iis, quae praeter aut contra naturam dicuntur (2). Hanc ΙΑΤΡΙΚΗΝ, illam ΥΓΙΕΙΝΗΝ, ex vario fine appellare licebit.

15. ΥΓΙΕΙΝΗ, lato ſenſu, totum Medici officium circa hominem ſanum complexa, tradit

I. Oeconomiam humanam, vitaeque et ſanitatis naturam, cauſas, effectusque declarat: quae pars PHYSIOLOGIA, ſermo de natura humana, audit,

II. Signa, quorum ope vita et ſanitas in genere, earumque varii ſtatus et gradus in homine ſingulari cognoſcuntur: haec SEMIOTICA PHYSIOLOGICA.

III. Auxilia et regulas, quibus vita et ſanitas quam diutiſſime incolumes ſervari poſſint: quae DIAETETICA.

16. ΙΑΤΡΙΚΗ, itidem tripartita, ſimili ordine ſuam materiem (14.) pertractat, exponendo

I. Quae de natura, differentiis, caussis effectibusque morborum scire expedit. Haec Pathologia.

II. Doctrinam signorum, quibus, quidquid in morbis ex se obscurum cognosci debet, praesens, praeteritum, aut futurum, detegitur: unde Semiotica Pathologica dicitur.

III. Praesidia adversae valetudinis, modumque illis recte utendi: haec Therapeutica.

17. Utriusque partis aequa necessitas et nexus individuus est: prior tamen ordine ΥΓΙΕΙΝΗ. Ut curvi norma rectum, ita morbi sanitas: et qui servare sanos novit, bona parte eorum, quae ad tractandos aegros pertinent, instructus est.

18. Praecipuum autem universale Medicinae fundamentum in ipsa hominis natura situm est. Suis haec viribus, sola, sine Medico, plerorumque tuetur sanitatem, morbis medetur. Hac deficiente, aut repugnante, irrita artis molimina. Curiosa naturae observatio, imitatio, ut primam arti originem, ita incrementa dein dedit, dabitque porro. Medici naturae ministri.

19. Ita-

19. Itaque doctrina omnis Medica bonae frugis ad hanc componi normam debet, ut, quid natura faciat, aut ferat, ex fideli obſervatione quam diligentiſſime enarretur. Nec tamen ſatis eſt, vires ejusdem motusque, prout in ſanis ſe produnt, in Phyſiologia (15. I.) expoſuiſſe: luctans cum morbis natura, quam Pathologia (16. I.) exhibet, facultates affectionesque ſuas etiam explicatius producit.

20. Unde liquet, quid de certo in Medicis ſentiendum? Natura humana, ſtatis a Creatore legibus finita, per ſimilia individua ſeſe multiplicans, omni tempore eadem, ſub iisdem conditionibus eodem ſemper modo agit ac patitur. Quidquid ergo de ejus oeconomia, integra, vel afflicta, prudenti ſenſuum miniſterio clare cognoſcitur, id firmum ratumque cenſendum, nec quidquam eo certius in Phyſicis. Par ratio eſt illorum, quae de poteſtatibus rerum externarum in hominem agentium (6) fideli obſervatione comperta habentur. Quaecunque porro ex obſervatis, ad congrua demonſtrationis principia applicatis, caſti ope ratiocinii, legitime deducta ſunt; quanquam per ſe in ſen-

ſus non cadunt, non minorem profecto fidem merentur.

21. Nullo proinde jure, quae male ſeduli doctores aut perperam obſervando, aut vitioſe argumentando, invexerunt, erronea, falſa, incerta, imputantur arti; quaſi mere conjecturalis foret. Non aliis, nec firmioribus, gaudet quaevis naturae ſcientia fundamentis.

22. Haud tamen diſſimulandum eſt, ſuis premi dubiis, obſcuris, conjecturalibus, nunquam prorſus extergendis, Medicinam: neque enim datum mortalibus aut ſuam, aut rerum, inter quas verſantur, naturam penitus comprehendere. At communis iſta ingenii humani imbecillitas quem non ſtringit? Gravius quidem Medicum ob inexhauſtam materiae, qua occupatur, amplitudinem et diverſitatem (11. 12.).

23. Privatum inſuper evidentiae obſtaculum hoc eſt, quod ſinguli homines a ſingulis tantopere differant. Nec vero ſufficit Medicum communia modo intueri: oportet et cuivis homini propria; ut qui ſingulorum ſaluti praeſit (12.). Quae quidem diverſitas tam immenſa occurrit, ut nulla obſervationum vi exhauriri poſſit.

24. So-

24. Sola denique contemplatione non licet acquiefcere, inque obfcuris rebus fufpendere judicium, donec lux affulgeat. Actionem exigit officium (9. 10.). Captanda hinc agendi occafio, quae faepe praeceps per conjecturam cogit determinare, quod per fcientiam fat cito nequit.

25. Pro ea igitur parte (22. ad 25.) Medicinam dici conjecturalem non obftamus; ut quae, cum certiffima invenire femper non poffit, probabilia fectetur, recta tamen ubique ratione utens, atque a vagis et temerariis commentis periculisque alieniffima.

26. Audiant haec obtrectatores, et cum didicerint fcientias puras ab iis, quas applicatas vocant, contemplativas a practicis, diftinguere, videant, quo jure Medicinam prae aliis, ut omnis certi expertem, infament!

27. His praelibatis, pro inftituti ratione, primas PATHOLOGIAE (16. I.) lineas ducere aggredior: quod ut compendio fieri poffit, cognita prius ponere liceat, quaecunque de ftatu hominis fano in ΥΓΙΕΙΝΗ tironi, ut fcitu neceffaria, enarrantur (17.).

PATHOLOGIA.

28. OFFICIVM Medici circa hominem aegrum eſt ſanare (10.).

29. Sanatio autem aegri eſt morbi, quo tenetur, in ſanitatem mutatio.

30. Pathologia igitur, quae hominis aegri cognitionem eo quidem fine exponit, ut viam ſternat ad medendi methodum (16. I.), docere debet, aegrum inter et ſanum quid interſit, quid morbus diſtet a ſanitate.

31. Spectandus adeo morbus eſt, ut ſtatus hominis ſanitati oppoſitus, naturae ab hac diverſae particeps, ſuis ex cauſis profluens, ſuosque viciſſim effectus producens.

32. Sed et quid morbus a morbo differat, explicandum: quando ab una ſanitate, in medio poſita, deflexiones multifariae eſſe poſſunt.

33. Unde liquet, agendum hic eſſe de morbi natura, differentiis, cauſis, effectibus etc. primum in genere, deinde in

in ſpecie, ſemperque comparate ad conditiones ſanitatis, quarum ideo plena notitia in anteceſſum poſtulatur.

PATHOLOGIA GENERALIS

De Natura Morbi.

34. Affectio illa corporis humani viventis, qua fit, ut actiones, homini propriae, non poſſint appoſite ad leges ſanitatis exerceri, morbus dicitur.

35. Generali quidem affectionis vocabulo complectimur defectus, exceſſus ac permutationes quaſcunque eorum, quae in ipſo corpore hujuſque partibus ad ſtatum ſanum atque legitimam functionum exercitationem requiruntur. Horum igitur notitia, ut decet (27.), imbutum nihil admodum obſcuri, aut aequivoci, in iſta voce offendere poteſt. Nec facile quis impedimenta externa huc retulerit, niſi qui ludere in re ſeria velit.

36. Non alios tractat Medicina morbos hominis, niſi qui in corporis aberrationibus ſiti ſunt, hiſque correctis tolluntur: habent tamen, mutui nexûs lege,

ge, primam saepe originem in mente, hujusve operationes sua efficacia perturbant. Hi limites regiminis mentis, quod Medicorum est.

37. Vitae mentio facta in hac definitione non ea solum de causa, quod morbus vitae sit affectio, nec magis, quam sanitas, sine illa concipi possit; sed ut constet etiam, dari principium agens in aegris, a morbo ipso distinctum, cujus motus observare, discernere, dirigere, praecipua Medici in opere versantis cura esse debet (18.). Facit praeterea vis vitae in aegro superstes, ut rerum huic admotarum facultates tam salubres, quam insalubres, longe diversa ratione agant (6).

38. Quum vero morbus conditionem corporis ponat a statu sano deflectentem (35.); eo praesente effectus, ex sanitate ut ex sua causa profluentes, id est actiones, quoque alienari necesse est. In omni proinde aegro aliqua fere datur actionum laesio, major, minor, vario gradu, modo, numero, extensione, duratione. Hanc si ocyus, serius, non intulerint vitia corporis, quae praeter consuetum naturae ordinem sunt, turpitudines potius, aut deformitates, quam morbi

morbi dicantur; tametsi a cura Medicorum haud prorsus semoventur.

39. Omne autem genus actionum, quae ad hominem pertinent, hic volumus, ne illis quidem exceptis, quae solius animi esse videntur; quando in has etiam morbosi corporis magna potestas est (36.).

40. Imperfectiones tamen functionum, quas aetas, sexus, temperamentum etc. ferunt, hujus non sunt loci; quando quidem sanitatis latitudine continentur. Uti nec illae, quas insuetudo habet, impotentiae, aut, quae ex naturae humanae necessitatibus fluunt, hujus modum non excedentes affectiones, ut fames, sitis, somnus etc.

41. Ut igitur actiones integrae se habent ad sanitatem, ita laesae ad morbum: nec decet Medicum rationalem, quod abnorme in actionibus est, ipsum morbum dicere; ne notiones causae et effectus temere confundendo curatio exquisita negligatur.

42. Ex quibus (34. ad 42.) liquet, naturam morbi generalem sitam esse in male affectis corporis vivi illis conditionibus, quibus id aptum natum est suam conferre symbolam ad actiones humanas

nas; eoque morbos omnes et ſingulos inter ſe convenire, quod in corporis facultatibus ſedem habeant. Alieni proinde a foro Medico cenſendi, quicunque, ſi modo dantur, ad ſolam mentem pertinent; niſi ſtatos Medicinae fines removere volupe eſt.

43. Medica ergo morbi cognitio ponit intellectum eorum, quae in corpore humano ita a ſtatu ſano aberrant, ut actiones inde laedantur. Uti nec ſanatio aliud quid poſtulat, quam eorumdem reſtitutionem in integrum: hac quippe obtenta priſtinum quoque actionibus rediturum vigorem jure confidit Medicus, nihil reliquum in arte ſua habens, iſta ſi ſpe exciderit. Docent laeſae ſenſuum facultates.

44. Morborum adeo ſingularium, prout in hominibus occurrunt, naturas expoſiturus id exquiſite indicare debet, quod in praeſentis aegri corpore mutatum in cauſa eſt, cur id ſuis muniis rite fungi nequeat. Id vero plerumque a ſenſu remotum latet, nec per ſe clare cognoſci poteſt. Unde, ut ex vero detegatur, accurato opus eſt ſcrutinio ac cauta ratiocinatione; quum error hic commiſſus plures eosque non ſemper inno-

innocuos pariat. Prudentiſſimi hic ſaepe caecutiunt, maluntque cohibere gradum, quam per tenebras illidere.

45. Huic autem inveſtigationi (44.) fundamentum praebent, quae in aegro ſenſibus ſe manifeſtant, Φαινόμενα: quorum primaria ſunt actiones laeſae. Harum enim a ſtatu ſano deflexiones, juſto examine perſpectae, cum ex morbo profluant (38.), hujus, ut cauſae ſuae, naturam legitima argumentatione demonſtrant.

46. Pleniſſimam vero lucem affundit notitia exacta ſtatus gradusque naturalis ſingularum actionum, tum modi, quo quaelibet exercetur, et conditionum ac virium, quibus inſtructum in ſuis partibus corpus ad eas perficiendas concurrit. Ita nimirum, comparando actionem quamque integram, una cum ſuis requiſitis, ad eamdem in aegro vitiatam, innoteſcere poteſt, quisnam et quantus ſit a ſanitate receſſus.

47. Conſtat hinc, Phyſiologiam (15. I.) maximae hic utilitatis eſſe, eaque neminem carere poſſe, qui naturas morborum recte eruere, aut intelligere velit. Sed et quaecunque in expoſitione oeconomiae humanae ſuperſunt lo-

ca

ca obſcura, vexata, dubia; aut quae erronea, conjecturalia, ficta, temere admittuntur, ea omnia in detrimentum Pathologiae redundare: ut merito bonus quisque repurgatiſſimam tandem omnibusque numeris abſolutam doctrinae Medicae eam ſibi partem deſideret.

48. Nec minoris in iſta indagatione momenti eſt ſcientia virium, quibus, quae geruntur ab homine, aut ingeruntur, ſive quovis modo admoventur, corpus afficiunt ac mutant. Cauſas haec atque occaſiones morborum in ſe habent (4. 5. 6.); quibus examuſſim intellectis facile eſt de natura effectus inde nati judicium. Qua in re, praeter obſervationes, quas ex proprio penu Medicina promit, Mechanicorum quoque, Phyſicorum, Chemicorum, demonſtrata apprime conducunt: quanquam multiplex idioſyncraſiae diverſitas et infinitus poſſibilium combinationum numerus optare magis, quam ſperare plenam iſtius doctrinae perfectionem jubet.

49. Praecipue tamen neceſſarium eſt ante oculos habere hiſtorias omnium ac ſingulorum morborum integras, ex plenis atque intaminatis Practicorum obſervationibus accurate concinnatas. His

uti

uti nititur universa morborum cognitio (45.); ita, cum conferuntur illis, quae in praesente aegro sagax examen detegit, mali, quo is laborat, indolem pulchre declarant. Nec sane certius aliud datur subsidium, quo obscura clarescant, dubia enodentur, corrigantur falsa, controversa dirimantur; sicubi vel priores etiam scientiae (47.48.) non satis tuto praeluxerint. Hac ideo regia via incesserunt olim, hodieque incedunt veri quique Medici, dolentes interim, tot hiatibus etiamnum abruptam, et inanium narrationum sordibus conspurcatam esse.

50. Ex quibus (45. ad 50.) rite perpensis pronum est colligere, quantis hoc scrutinium (44.) prematur difficultatibus. Qui vero et simul considerat multiplices morborum in eodem homine complicationes et metaschematismos, non mirabitur, quamobrem vel peritissimis etiam toties hic aqua haereat. Quo quis diutius in arte cum cura elaboravit, eo circumspectius de morborum natura pronunciare solet.

51. An igitur morbus recte dicitur certamen naturae propriam salutem propugnantis? Ex intimis Medicinae pene-

tralibus petita haec notio ſapienti cuiuis in arte magiſtro jure probatur. Ineſt profecto ſua naturae humanae virtus pervigil, qua vitae ac ſanitatis ſui corporis conſervationi perpetuo ſtudens his neceſſaria procurat, nocitura repellit. Inde motus ſpontaneos atque molimina in aegris animadvertere licet, nec cauſae morbi, nec adhibitis quibusvis demum remediis adtribuenda, quae tam aperte in ſalutem tendunt, ut data opera aptius excogitari, aut felicius dirigi non potuiſſe videantur. Rectiſſime proinde naturam morborum medicatricem, Medicum naturae miniſtrum eſſe, artisque univerſae ſummam ad naturae obſervationem, imitationem, directionem, redire inculcatur (9. 18. 19.). Aurea ergo loquendi formula medentibus ſemper ante oculos verſetur. Eamdem vero pro generali morbi definitione obtrudere nefas. Neque enim *verum morborum characterem comprehendit*, *adeoque nec* in omnes et ſingulos quadrat. Nec morbum cum remedio decet confundere. Naturae certamen ideam adverſarii includit: hic morbus eſt: huic ſuos natura opponit conatus medicatos, quibus ſi nomen morbi dederis, an morbum

bum abesse dices, cum languens forte natura huic non obluctatur? An, quos naturam imitans Medici solertia similes per remedia producit motus, pariter ad morbum ipsum referes? Largimur tamen morbos dari, quorum bonam partem, si universum spectes, ista molimina constituunt: alios item, quibus cum superveniunt, in aliud genus mutantur: multis denique accedere specie symptomatum, quae ut accurate a propriis morbi effectibus discerni debent, ita ad ipsam morbi naturam nullo jure referuntur.

52. Eadem (51.) quoque ab illis perpendi velim, qui in naturae locum Animam, Archeum, aut quodvis aliud principium, rationis particeps, in morbis actuosum, substituere malunt. Vocibus hi tantum, non re ipsa, dissentiunt: quando autem nihilo plus lucis inde nascitur, non est, cur vocabulum veteribus non inepte introductum abrogemus.

De Causa Morbi.

53. Morbus cum ponat mutationem corporis a statu sano (34. 35.),

 quae

quae adeſſe aut abeſſe poteſt, effectus erit corporeus determinatae potentiae, cujus vi exiſtit.

54. Id autem qualecunque, quo fit, ut morbus exiſtat, cauſa morbi vocatur.

55. Ad hujus (54.) inveſtigationem moleſta laeſarum ex morbo functionum perceptio mortales aegros ab omni aevo compulit; ut inde primum nata videatur Medicina. Officii ratio eo compellit Medicum, qui tum demum vere cognoviſſe morbum dicendus eſt, cum cauſam ejus detexerit. Sanatio etiam non, niſi ſuccisa morbi cauſa, exquiſite obtinetur.

56. Statuendus tamen huic (55.) ſcrutinio certus limes; ne ultra, quam ex uſu eſt, aut ſubtilius, quam verius, exerceatur; neque extra ſphaeram naturae virium evagetur: his enim ſolis Medicus in cognoſcendo aeque ac in curando ſeſe continet (3. ad 9.). Inde ad ultimas metaphyſicas, primasve phyſicas cauſas non adſcendendum. Ars ex ſe nimium longa, ſuo tamen fine (10.) concluſa, in cauſis etiam ſecundis progreſſum vetat ulteriorem, quam qui felicius perficiendae ſanationi conducat.

57. Quo-

57. Quocirca nec minutis causarum differentiis, quas schola invexit, hic inhaerendum. Disputationum haec materies, a sanioribus etiam philosophis hodie repudiata, artem, quae opere potius, quam verbis, demonstranda, dedecet.

58. Distinguunt Medici, nec inutiliter, inter causam externam et internam. Internam voco vitium quodcunque in corpore radicatum aliquamdiu, priusquam in morbum erumpat. *Et tunc cum praedisponente* (59.) *aliquo modo conuenit. Internam etiam dicunt in intimis corporis partibus sedentem, et sine externarum concursu agentem, licet ab his nata sit.* Si quae vero gesta, ingesta, aut foris admota homini, sua vi agentia morbum pariunt, is ab externa causa natus dicitur. Prior ergo aliquem ponit ante praesentem morbum sanitatis defectum, sed latentem, aut tam levem, ut absque notabili functionum laesione ad tempus feratur: potestque is in firmis partibus aeque ac in humoribus haerere. Posterior etiam sanissimos morbo afficit, et cum plerumque sensibus manifesta sit, satisque cito noxium effectum edat, ab ipsis aegris saepe animadverti

 solet.

ſolet. Unde et Evidens audit, nec priſcis quoque neglecta Empiricis, qui contra internarum *et abditarum*, quod obſcurae ſint ac incerta tantum conjectura cognoſci queant, quaeſtionem ſupervacuam eſſe contenderunt.

59. Memorabilis porro eſt cauſa προηγουμένη ſeu praediſponens, et προκαταρκτική, πρόφασις, occaſio etiam aut occaſionalis dicta. Praediſponens dicitur conditio quaevis corpori inhaerens, qua illud aptum eſt nata occaſione morbum ſuſcipere. Occaſio eſt quidquid praediſponenti ſuperveniens hanc excitat, ut una morbum pariant. Neutra ergo ſola producendo morbo ſufficit, ſed ambarum concurſus requiritur. Praediſpoſitio ſi abeſt, occaſio non nocet: et viciſſim ſi praediſpoſito ab occaſione caves, caves a morbo. Diſtinctionem docuit obſervatio, qua conſtat, non omnes homines ab iisdem rebus aequaliter affici, et valetudinarios idoneo regimine ſervari incolumes.

60. Praecipua denique et maxime generalis eſt cauſarum diviſio in remotam et proximam. De utriusque tamen conceptu non convenit inter auctores. Remota aliis dicitur, quae ſola non ſufficit,

ficit, ſed intercedentem aliam requirit cauſam propiorem, ut morbus fiat. Proxima ergo his eſt, quae, remotis ſuperveniens, momentum addit, ut ilico morbus exoriatur, adeoque hunc naſcentem proxime antecedit. Ita vix diſcrepat haec cauſarum ſectio a priore (59.): confunditur proxima cum occaſionali (59.), more vulgi, cui cauſa morbi illud eſt, quod hunc proxime anteceſſit: quin remota ſolo gradu augeſcens, aut actu ſaepius repetito urgens, ut tandem in morbum abeat, eadem et proxima evadit. Rectius alii remotas vocant, quae ſingulae quidem aliquid conferunt ad morbum producendum, nec tamen, niſi conjunctae, totum denique efficiunt; quemcunque ceterum locum teneant in ſerie cauſarum ad morbi generationem confluentium. His igitur proxima eſt, quae ex concurſu omnium remotarum nata, ſola, integrum morbum ita conſtituit, ut indiſſolubili nexu cum eo cohaereat. Quare et Continens dicitur, ut quae univerſam rationem originis morbi in ſe contineat, qua poſita is continuo ſe manifeſtat, adeoque et ablata tollitur. Hujus uti pars modo eſt remota quaeque, ita

et partem morbi tantum conſtituit. Qui omnes et ſingulas remotas, ut una conſpirant, intelligit, notitiam proximae habet: qui tollit cunctas, proximam quoque deſtruit, et cum hac morbum: qui aliquas modo, relictis aliis, partem quoque proximae duntaxat deterit, nec perfectae ſanat.

60. *Alii, et vt videtur, recte quidem, progreſſum quendam cauſarum ſtatuentes, natum a cauſarum praediſponentium et occaſionalium concurſu effectum ſub materialis cauſae nomine comprehendunt, quae videlicet morbi materiam contineat. Cujus effectus proxima cauſa eſſe debet, qua functionum laeſio ipſa inducitur. His itaque proxima cauſa etiam ex remotarum concurſu nata eſt: quae tamen in curando magis ſcientiae quam artis objectum eſt, quoniam nata ab ipſi propiore ex remotioribus, materiali, non tollitur, niſi hac ſublata.*

61. Miſſis aliis minoris momenti cauſarum differentiis, quas propoſui (58. ad 61.), rite examinanti conſtare poteſt, eam ſolam, quam ſano ſenſu dixi proximam, aut continentem, verae cauſae phyſicae ingenium prae ſe ferre, quae morbum ita efficiat, ut illa poſita hic ponatur, durante duret, mutata mutetur,

tur, ablata tollatur. Reliquis idem tribui non posse, nec ideo nomen causae proprie competere. Medicis igitur, suo loquendi more, causae titulo venire id omne, quod quocunque demum modo ad morbi generationem concurrit, sive ut vera causa, sive ut hujus pars, aut conditio sine qua non, etc. Inde litigandi, cavillandi, ridendi, materiem nasci, quasi causa sine effectu, hic sine causa esse, eadem causa effectus oppositos producere, aut idem effectus diversis ex causis oriri possit.

62. Consultum itaque videtur morbi causam solummodo vocare id exquisite, cujus vi totus morbus existit. De hac porro, quidquid de causis physicis, inter quas utique morborum causae numerari debent (§. 53.), affirmare licebit.

63. Inde uti quilibet morbus suam habet causam determinatam (54.), qua necessario efficitur; ita haec alia atque alia erit in morbis natura diversis, et contra eadem in illis, qui natura conveniunt; tametsi diversas corporis partes occupant, ideoque nec easdem praecise functiones turbant. Quod magnae utilitatis in arte compendium.

64. Nec mera tamen privatio dici ea causa semper debet, quasi morbus, ut defectus sanitatis, tantummodo ex absentia conditionum ad hanc requisitarum oriretur. Aliena saepissime in aegris insunt, quae impedimento aut stimulo morbos creant.

65. Quum vero morbus non nisi in corpore sedem habeat (36.), causa ejus quoque ad corpus duntaxat pertinebit, inque hoc solo quaerenda erit; quanquam ex mente forsan, vi mutui commercii, eo devenit: quod observare quidem Medici est, explicare Philosophi. Ex animi motu natus morbus, illo sedato perdurans, non sine *corporea* causa superest.

66. Ita porro cum morbo cohaeret, ut ab eo inseparabilis abesse nequeat, quin et ille tollatur, nec hoc absente adesse. Distinctio igitur causarum in continentes et non continentes nulla est. Morbus ultra causam suam, i. e. sine causa, non perdurat. Vulnus, cultro licet, quo inflictum est, ablato, una cum sua causa persistit.

67. Imo haec causa totam morbi, effectus sui, naturam constituit, ideoque ab hoc re ipsa vix discrepat. Quidquid

in

in morbo eſt, in cauſa ejus inveniri debet. Utiliſſima ergo et maxime neceſſaria illius indagatio habetur (43.). Ea demum ſolida eſt morborum cognitio, quae, quomodo in ſuis ſinguli determinatis cauſis conſiſtant, demonſtrat.

68. Raro tamen ſimplex eſt, ſed plerumque ex pluribus conditionibus una concurrentibus compoſita: morborum nempe, ut ſanitatis ipſiusque corporis humani, notiones multitudinem in unum collectam quoque involvunt. Itaque ex quotnam partibus diverſis totum illud, quod morbum vocamus, conſtat, totidem diſtinctae dabuntur conditiones aut potentiae in ejus cauſa, quarum ſingulae partem modo aliquam morbi efficiant, conjunctae demum totum.

69. Quotiescunque ergo earum conditionum, quae mutuo concurſu cauſam morbi componunt (68.), aliqua deficit, mutatur, gradu augetur; aut prius poſitis novae quaedam accedunt; aut aliae in aliarum locum ſubſtituunrur; toties analoga quaedam imminutio, mutatio, aut augmentum in ipſo quoque morbo eveniet: uti plena demum

mum huius abolitio, cum omnes et singulae exquisite tolluntur.

70. Quo posito fundamento (69.) ratio reddi potest originis morborum lentae vel subitae, durationis, incrementi, decrementi, paroxysmorum, remissionum, periodorum, mutationis ex alio in alium, perfectae aut imperfectae sanationis, reversionis, status denique neutrius inter sanum et aegrum fluctuantis.

71. Quare, ut causa morbi recte cognoscatur, oportet eam resolvere in simplices, ex quibus composita est (68.), potestates, harumque singulas primo, dein omnes conjunctas, quid seorsum, quid simul valeant, examinare. Quae res difficillima quidem est, at utilitatis tamen plenissima et Medico dogmatico apprime necessaria.

72. Perficitur autem curiosa indagatione eorum, quae ita morbum antecesserunt, ut credibile sit ad illius generationem aliquid contulisse: sive ea prius in homine extiterint, sive pridem aut nuper a foris accesserint (4. 5. 6.). His quippe potestates (71.) continentur, quarum confluxione causa morbi nascitur,

tur, ut adeo huius originem rite considerata declarent.

73. Atqui haec ipsa (72.) sunt, quae Medicis nomine caussarum remotarum (60.), praedisponentium, procatarcticarum (59.) veniunt. Harum ideo quam utilis et necessaria sit inquisitio, patet. Quodsi vetus Empiricorum schola in his solis male acquievit, magis etiam culpandi sunt recentiores, qui, remotis insuper habitis, *earumque actione neglecta*, proximae (60.) tantum scrutinio sese addicunt. Haec tamen saepe inaccessa est, nisi evidentiores remotae praeluxerint: quin et neglecta proxima, si cunctas modo remotas aufers, morbum sanabis (60.).

74. Quamvis igitur verarum caussarum ingenium non habeant, adeoque cum his male confundantur (61.); omnino tamen merentur a Pathologo expendi, possuntque rectius morborum principia vocari; ut quorum mutua coniunctione morborum causae hique ipsi demum constituuntur; et ad duo summa capita referri, quorum alterum Seminia morborum comprehendat, alterum Potentias nocentes.

75. Se-

75. Seminia voco dispositiones quascunque corpori insitas, quae morborum generationi favent, sicubi potentia nocens analoga accesserit. Praedisponentia alias, aut προηγούμενα, dicuntur (59.).

76. Potentiae nocentes sunt res quaelibet ea praeditae facultate, ut morbos producere possint in corpore per seminium (75.) apto, i. e. praedisposito. His προκαταρκτικὰ dicta conveniunt (59.)

77. Utrisque opus est concurrentibus, ut causa morbi isque ipse nascatur. Neque enim potentia efficax est, nisi in corpus inciderit impressioni ejus recipiendae aptum; nec diathesis seminalis in morbum erumpit, nisi vi quadam appropriata excitetur.

78. Mutua insuper utriusque speciei principiorum (74.) requiritur affinitas, ut juncta in eundem effectum conspirent, nec alterum alteri officiat. Non quaelibet potentia cuivis seminio evolvendo par est. Nec praedispositio datur universalis ad omne morborum genus, *ut adeo praedispositio ad unum morbi genus praedispositionem ad alterum saepe auferat:* uti nec perfectissima sanitas aequa vi sese

ab

ab omnibus et ſingulis inſalubribus tuetur. Hinc eadem diatheſis alias favet, alias obſtat, pro diverſa potentiae nocentis indole, et verſa vice: quod uni morbum infert, non item infert aliis; et ne illi quidem alio tempore, ſi diatheſis mutata eſt.

79. Patet igitur non ſufficere ſuperficiariam iſtorum principiorum notitiam; ſed requiri cognitam cujusque cum ſeminii, tum potentiae, naturam; ut mutuus eorundem conſenſus, repugnantia, quidque invicem agere ac pati poſſint, perſpiciatur.

80. Atque ſic demum methodo ſynthetica pervenitur ad cognitionem cauſae morbi, quam illa (79.) junctim conſtituunt. Quin et eadem opera, a priori, quod ajunt, eruitur natura morbi (67.); ut, inſtituta collatione, eadem per methodum analyticam (45.) inventa comprobari, aut error in alterutro argumentandi genere commiſſus detegi ac corrigi poſſit. Ceterum ſi quis conſiderat phyſicas effectuum quorumvis corporeorum cauſas, in univerſum nunquam aliter, quam concurſione duplicis generis principiorum, quae propoſui (74. 79.), exiſtere; prout ex mechanicis, che-

chemicis, etc. intelligentibus abunde liquet; idemque praecipue in ſeminibus plantarum ovisque animantium nemini non eſſe manifeſtiſſimum; is non mirabitur genericis principiorum nominibus vulgo uſitatis nova me ſubſtituiſſe expreſſiora; nec improbabit, quod momentoſae iſtius doctrinae fines in Pathologia ſpeciali ſolito amplius dilatare ſuſtinuerim *).

De Symptomate.

81. Symptoma, quum vi vocis id denotet, quod aegro accidit; univerſus autem morbus, una cum cauſa et effectibus ſuis, inter res accidentes referri poſſit; multam Syſtematicis litigandi materiem dedit, Practicis tamen ſuper hac quaeſtione non aeque inter ſe diſſentientibus. Facilius plerumque eſt rem praeſentem diſcernere, quam verbis exacte definire.

82. Quacunque latitudine veteres hoc vocabulum uſurparint, certum eſt hodie

*) Legantur, quae C. Celsvs de Medic. praefat. ad libr. I. adverſus Erasistratvm diſputat.

hodie ſymptoma tantum de homine aegro praedicari; de ſano nunquam. Ponit ergo praeſentem morbum, adeoque et hujus cauſam: ſed et aliquid, quod praeter naturam accidit, et quomodocunque cum his ipſis cohaeret; dum interim ut diſtinctum ab iis concipitur. Nequaquam igitur pro omni eo, quod homini praeter naturam evenit, aut pro levioribus affectionibus, quae nomen morbi non merentur, ſumi poteſt.

83. In aegro variae a ſtatu ſano alienationes (38.) ſenſibus ſeſe manifeſtant; ſive actiones ſpectes, ſeu eorum, quae foras prodeunt, molem, indolem, aut corporis etiam ſenſibiles qualitates.

84. Haec Phaenomena (83.) cum percipit aeger, animadvertit Medicus, uterque concludit morbum adeſſe, certus ex ſanitate non oriri. Deſinunt et homine in integrum reſtituto.

85. Male tamen illa quis morbum ipſum dixerit (41.), quia cum hoc cohaerent, naſcuntur, durant, abeunt. Non is, niſi rariſſime, in ſenſus incidit (44): plerumque ratiocinio tantum detegitur, nec aegro prius, quam Medico, innoteſcit. Quum nihilominus praeter na-

 turam

turam ſint, atque in morbo radicata, recte vocantur ſymptomata, ut quae una cum morbo incidant.

86. Symptoma proinde notat quamcunque ſenſibilem a ſtatu naturali alienationem, quae homini ob praeſentem morbum ita naſcitur, ut tamen ab hoc ipſo hujusque cauſa diſtingui poſſit, nec ultra morbum duret.

87. Tria nimirum in ſe aeger habet, quae praeter naturam ſunt: morbum, huius cauſam et ſymptoma. Mutuus inter haec nexus datur. Uti morbus non ſine cauſa, ita nec ſine ſymptomate eſſe poteſt: nec hoc viciſſim ſine illis. In omni morbo apparens aliqua vel actionum, vel excretorum, vel qualitatum ſenſibilium mutatio a ſtatu ſano evenit (38.). Nec ſymptoma porro dicendum, quod ſuo morbo ſuperſtes eſt, ſed morbus.

88. Ita ſymptomata illam praecipue ſtatus morboſi partem efficiunt, quae in ſenſus ſive aegri, ſive Medici, incurrit, apertiſſimam, dubiis hinc minime obnoxiam, quaeque obſervanti ſponte patet, nec ſignis adeo aut artificioſa conjectura eget, ut detegatur.

89. Quo-

89. Quoniam vero non omnia, quae in aegro praeter naturam eveniunt phaenomena, eandem ad morbum habent relationem, nec eadem ſemper origine naſcuntur, utique neceſſum eſt alia ab aliis probe diſtinguere, prout ex diverſis fontibus promanant.

90. *Omnia quidem ab eo, quod praeter naturam in aegro eſt, profluunt*, alia *tamen* ſtatum morboſum praeſentem directe pro ſua cauſa habent, ex quo ut totidem effectus fluunt, hinc nexu phyſico indiſſolubili cum illo cohaerent. Et haec quidem genuina ſunt ſymptomata, atque pro triplici genere rerum, quae praeter naturam in aegro inſunt (87.), trifariam diſtinguuntur in ſymptomata morbi, cauſae, et ſymptomatis.

91. Morbi ſymptoma dicitur effectus ſenſibilis vi praeſentis morbi proxime productus. Ejus ergo ſimilis eſt relatio ad morbum, ut hujus ad ſuam cauſam (66.). Et cum ex plurium conditionum confluxu morbus naſcitur (68), multorum quoque id genus ſymptomatum ſyndrome ſtipatus eſſe ſolet.

92. Horum (91.) itaque utiliſſima eſt et maxime neceſſaria inquiſitio. Teſtantur enim morbi praeſentiam non modo,

ſed naturam quoque (45.). Effectus certe ingenium ſuae cauſae declarat. At cauſa morbi cauſa etiam eſt hujus ſymptomatum.

93. Quodſi vero origo ſymptomatis propius ex cauſa morbi derivari poſſit, cauſae ſymptoma audit; voce cauſae minus proprio ſenſu accepta (61.). Id contingit, quoties illius rei, quae morbum efficit, vires ita multiplices ſunt, ut aliqua modo pars earum ad morbum producendum concurrat, hinc propria hujus cauſa fiat; pars altera vero occaſione nati morbi quoque, ocyus, ſerius, in actum deducta, effectus prodat diverſos, morbo ſupervenientes quidem, non tamen ita nexos, quin hic ſine illis eſſe potuiſſet. Symptomata cauſae igitur ut intelligantur, ad poteſtates cauſae morbi acceſſorias adtendendum eſt. Exemplo ſit vulnus telo venenato inflictum, cujus ſi cauſam telum dicas, vulnusque morbum, vi teli mechanica natum, quaecunque ex viro in vulnus una illato excitantur mala, ſymptomata cauſae ſolent vocari.

94. Quare liquet, iſthaec ſymptomata (93.) et perdurante morbo tolli nonnunquam poſſe, et eodem ablato ſuper-

ſupereſſe, aliquando longe plus periculi inferre, quam morbus, quem comitantur; imo et indicare alias morbum morbo ſuperadditum, quorum alter, quia aut tempore prior eſt, aut manifeſtior, aut magis urget, tantum pro morbo habetur, altero non vere in ſe ipſo, ſed in effectibus modo ſuis ſpectato, aut et prorſus praeterviſo. Unde cum princeps morbus deſinit, ſymptomate cauſae remanente, hujus idea evaneſcit, morbusque latens, a quo pendet, ſe demum prodit. Quae quidem rite perpenſa oſtendunt, diſtinctionem iſtam, ſano ſenſu acceptam, nec paradoxam eſſe, nec ſupervacuam, utiliſſimam potius in facienda cum diagnoſi, tum prognoſi morborum, maxime complicatorum.

95. Utrumque porro ſymptoma (91. 93.) ſi ſua vi aliam rurſus produxerit affectionem ſenſibilem, haec ſymptoma ſymptomatis vocatur. Quo nomine etiam veniunt reliqui omnes, qui longa ſaepe ſerie alii ex aliis deinceps profluunt, effectus morboſi; modo ſymptoma aliquod anterius pro ſua cauſa habeant, nec hoc ſublato perſiſtant (86.).

96. Habent ergo et iſta (95.) primam ſuam originem in morbo hujusve cauſa, inde cognoſcuntur, his remotis tolluntur, et licet plurium forte aliorum interventu cum iis ſaltem cohaereant, legitima tamen analyſi ad cognoſcendam morbi aut cauſae ejus naturam et efficaciam quoque facere poſſunt. Nec plena his neglectis exſurgit morbi hiſtoria.

97. Notandum vero, dari non infrequenter in aegris effectus ſenſibiles, quos ſi in ortu ſuo ſpectes, omnino ad aliquam trium ſpecierum (91. 93. 95.) referas; at qui tam tenaciter corporis partibus impreſſa ſunt, ut ultra morbum perdurent. Unde non ſymptomata adeo, ſed morbi potius ſecundarii audiunt, eoque magis conſiderari merentur, quod ſingularem ſibi curam repoſcant. Ex vomitu ſymptomatico naſcens aliquando hernia non ſymptoma ſymptomatis dicitur, ſed morbus (86. 87.).

98. Aliud inſuper phaenomenων genus in morbis occurrit, quae cum et aegris eveniant, et a ſanitatis norma deflectant (82.), generali quidem ſymptomatum titulo comprehendi poſſunt; at longe diverſam a prioribus originem habent,

bent, adeoque cum iis confundi minime debent.

99. Non bruta homo machina eſt, quae injurias a rebus noxiis ſibi illatas iners excipiat ac patiatur. Mens intus eſt, quae moleſtiis ex morbo ſibi natis exagitata, anxia, quas habet in corpus agendi vires, intendit ad repellendum hoſtem (4.). Corpus ipſum et ſua praeditum eſt incitatione (5.), quae, moderata quidem in ſanis, acrius ſaepe inſurgit praeſente malo irritata, inque enormes impetus abripitur, ut morbi inſultibus ſeſe opponat. Conſenſus etiam hic datur ac mutua partium conſpiratio, qua uti unum aliquod conſtituunt, idemque integrum, collata quaeque ſua ſymbola, conſervare nituntur; ita cum earum alicui noxa imminet, aliae, nec raro omnes, junctis viribus, laboranti ſuccurrunt, communem in privata cujusque, et propriam in ſociarum ſalute propugnantes (5.). His itaque viribus inſtructa hominis natura cauſis morborum non modo reſiſtit, ſed cum his etiam ſaepe congreditur, initoque conflictu (51.) vim vi opponit. Quod cum aequabili, quo in ſanitate fluunt, actionum tenore efficere nequeat, inſolitos

ciet motus, turbasque facit turbis a morbo concitatis non raro majores, unde alia ſuper alia ſymptomata accumulantur.

100. Hujus quidem generis (99.) plerumque ſunt alienati rerum ingerendarum appetitus et averſationes, motus ſpaſmodici, convulſivi, circuitus humorum perturbationes, febres, exanthemata, abſceſſus, haemorrhagiae, vomitus, alvi profluvia, ſudores, et alia plurima, quae, etſi morbos comitantur hisve ſuperveniunt, nequaquam tamen continuo ut effectus ex iis eorumve cauſis directe profluentes aeſtimare, aut ad ſymptomata proprie dicta (86.) referre fas eſt.

101. Naturae ergo molimina potius, aut ſymptomata activa, auxiliaria, vocentur; quum ab actuoſa natura excitentur, hujusque viribus exhauſtis aut oppreſſis deficiant, nec eadem ſemper in eodem morbo ſe manifeſtent, et pediſſequas ſaepe habeant ſanationes benigniſſimas, quin arte inimitabiles, aut ſaltem rite attendenti ſalutares plerumque fines prodant. Veteres ἐπιγενόμενα, ἐπιγενήματα, dixere, non ſola tamen, nec omnia, his vocibus complexi.

102. Ea vero ſi in omni latitudine ſua ſpectes, rari ſunt morbi, quibus ſe non

non adjungant: imo multi, quos non minus constanter et certo comitantur, quam quaevis alia symptomata; ut vere dicas, eos ex junctis potentiae morbosae et contranitentium naturae virium conatibus profluere. Hi sunt, quos certamina naturae propriam salutem propugnantis appellare liceat (51.). Nec horum is rite explicuerit ingenium, aut, quibus stipantur, phaenomena, qui, solis inhaerens primi generis (90.) symptomatibus, istos naturae motus neglexerit.

103. Unde patet, quam utilis Practico et necessaria sit eorumdem accurata cum observatio, tum distinctio; ne vano trepidet metu ad innoxia, aut medicatis naturae moliminibus temere resistat, quae non turbanda sunt, sed prudenter regenda (9. 18. 19.).

104. Falluntur tamen, qui ex hoc fonte non nisi salutifera proficisci existimant. Patitur suos et natura errores, impetusque concipit, qui quod modum excedant, justove debiliores sint, aut minus congruentes in partes directi, plurimum saepe damni et vel exitium quoque inferunt. Ut adeo prudentis Medici sit, non mirabundum modo αὐτο-

κρατείας naturae ſpectatorem agere, ſed et praecipitem refrenare, excitare torpidam, errantem in viam reducere.

105. Nec ſuis etiam iſtud genus caret effectibus morboſis, qui ex turbis inde concitatis, ut ſymptomata ſymptomatum (95.), oriuntur, pariterque, ut haec (97.), tam alte nonnunquam inhaerent, ut in morbos ſecundarios abeant. Et vel victrices quoque naturae motus (101.) ab his non immunes ſunt. Rara ſine vulnere victoria.

106. Supereſt et tertius fons eorum, quae aegris ſupervenire obſervantur, a binis prioribus probe diſtinguendus; quanquam cum iisdem cohaeret. Fortuita haec aut accidentalia dici poſſunt; cum viribus rerum, quas caſus offert, debeantur.

107. Verſatur nimirum aeger, ut ſanus (6.), in perpetua ambientium, ingeſtorum, applicatorum, quin et propriarum actionum viciſſitudine. Difficile autem eſt haec omnia et ſingula tam exacte ſtatui morboſo ſemper accommodare, ut naturam et Medicum vel juvent in ſanando, vel ſaltem non impediant. Iſta tamen cum vel ſanos pro ſua quaevis poteſtate diverſimode afficiant

ant (6.) multumque ſaepe conturbent, in aegrotos etiam, quorum non integrae vires minus reſiſtunt, plus valebunt. Unde neceſſum eſt effectus prodire, qui, licet ſymptomatibus primi ſecundique ordinis (90. 98.) intermixti, morbo tamen, aut naturae, non recte tribuuntur.

108. Nec ſane id genus phaenomena, ut fortuita ſint, momento carent. Alias enim morbum acuunt, ex miti ſaevum, exitialem, reddunt, novo morbo aggravant, in aliam ſpeciem commutant, benignos naturae motus turbant; pervertunt remediorum operationes, agendi occaſiones ac tempora occupant. Alias et adjumento ſunt, et tam proſpere nonnunquam cedunt, ut iis ſolis recuperata ſalus debeatur. Vehementes animi motus, ex improviſo in aegrotis excitatos, alias ſalutem, alias perniciem turbasve periculoſas intuliſſe, non paucis exemplis conſtat. Utinam nec perverſa medicatio ſuas quandoque partes hic ageret!

109. Eſt et, ubi eadem perſiſtunt inhaerentque diutius, quam morbus, cui ſupervenere, *morbique ſecundarii formam indu-*

induunt (97. 105.); tumque manifeſtius demum originem ſuam declarant.

110. Quocirca ſedulo notari ac diſtingui merentur; ut eventus ad ſuas quique cauſas referantur, nec alieni effectus morbo, naturae, aut adminiſtratis remediis imputentur, magno hiſtoriae Medicae diſpendio. Caveant praecipue confuſionem, quibus hoc etiam genus ad communem ἐπιγενομένων titulum (101.) redigere placet.

111. Ex quibus (90. ad 110.) rite intellectis pronum eſt colligere, quae ex memoratis fontibus manant, ſymptomata aegris quidem evenire occaſione morbi, non tamen omnia et ſingula eodem nexu aut inter ſe, aut cum morbo, contineri: ut adeo cuncta nec idem argumentandi genus admittant, nec momentum habeant aequale, cum ad naturas morborum, quos comitantur, dignoſcendas, ad praedicendos eventus, aut ad eruendas agendorum indicationes, ut par eſt, adhiberi debent.

112. Alia certe dixeris Neceſſaria, quae cum morbo ita cohaerent, ut eodem poſito ſuasque vires evolvente non poſſint non, ocyus, ſerius, ſeſe manifeſtare. Cujus quidem generis ſunt

quae-

quaecunque ex morbo, ut ex sua causa, fluunt, inque huius natura universam sui ortus rationem habent sitam. Vocantur etiam Essentialia aut Primaria.

113. Huc referantur ex fonte primo (90.) potissimum symptomata morbi (91.) horumque effectus (95.). Ex altero fonte (98. 99.) plurima quidem nascuntur variabilis ingenii, nec certi cum morbo nexus, quaeque hinc, pro naturarum diversitate, in eodem morbo aliter atque aliter eveniunt. At quotiescunque ad ipsam morbi constituendam speciem una concurrunt et potestates conditionum morbosarum, et obluctantes irritatae naturae vires (102.), toties et necessaria haberi debent, quaecunque sic oriuntur symptomata activa (101.), ut, si abessent, morbus in aliam speciem transiret. Tertius fons (106.) *quamvis ex illo oriunda symptomata ob causam et morbum talia sunt*, nulla, quae hujus loci sint, exhibet.

114. Reliqua igitur, quorum laxior est cum morbo cohaesio, ut abesse aut adesse possint, Non-necessaria vocare liceat.

115. Necessariorum (112.) porro varii gradus sunt, nec una omnium ratio.

Mor-

Morbus plerumque, ut ſanitas, non ſimul et oritur et perficitur, nec puncto temporis, quidquid mutationum poteſt, producit; ſed ſucceſſione quadam alios poſt alios effectus explicat. Habent nimirum ſua incrementa vires phyſicae conditionum morboſarum: pro illorum portione ſuos variat intenditque niſus natura: per gradus etiam ex aliis in alias partes facultatesque provolvuntur turbae ac conſenſiones cientur: ut adeo nec eadem ſemper facie, nec eodem ſymptomatum ſatellitio ſtipatum ſe in univerſo ſuo ambitu efferat morbus.

116. Inde alia quidem ſimul cum morbo oriuntur, durant, deſinuntque, perpetui ejus comites, quae idcirco Individua, Perpetua, Simultanea, dicenda. Alia, ut neceſſario eveniant, non tamen indivulſa ſunt, nec quovis morbi tempore, ſed ſuo tantum, apparent, hinc Temporaria vocari poſſunt. In febribus, praeſertim intermittentibus id manifeſtum eſt.

117. Utriusque generis (116.) ſedula collectio, a non-neceſſariis (114.) diſtinctio et curioſum examen, quo quodvis modo ad ſuum morbum ſeſe habeat, praecipuum rite inſtituendae cum dia-

diagnosi, tum prognosi, fundamentum praebet. Ex iis signa pathognomonica petuntur et notae characteristicae, quibus morbi a morbis discrepant. Nec certiores aliunde conduntur aut definitiones, aut historiae morborum, quam ex hoc fonte. Iisdem quoque nititur, quam methodus analytica parit, solida naturae morbi cognitio (45.). Temporaria insuper diversis morborum temporibus ac gradibus recte discernendis apprime inserviunt.

118. Non-necessaria (114.), nequaquam ideo negligenda, quo minus cohaerenter superveniant, quantae utilitatis esse possint accurate observata, ex dictis (94. 101. 103. 108. 110.) liquet. Momentosa materies cruditatis in morbis, coctionis, crisium, variorumque exituum, his magnam partem continetur.

119. Ceterum quidquid in symptomatibus cujusvis generis a statu sano alienatum se manifestat, id omne ad actiones, excreta, et qualitates sensibiles facile reduci potest, ac sub his titulis, cum opus est, inveniri.

PA-

PATHOLOGIA SPECIALIS
DE
Naturis ſingulorum morborum.

120. Generalis morbi notio ante (34.) data cum id tantum comprehendat, quod morbi omnes et ſinguli inter ſe commune habent, non niſi eorumdem a ſtatu ſano diſcrepantiam edocet. Differunt autem et inter ſeſe, et ſuo quisque modo vitiatam ponit ſanitatem: quod examuſſim cognoſcere praeprimis ad Medicum pertinet (44.); ut cui in praxi ſingularium cura potiſſimum demandatur (12. 23.). Unde a generalibus ad ſpecialia procedendum.

121. Id, quo morbi a morbis diſcrepant, ſitum eſt vel in natura cujusvis peculiari illisque attributis, ſine quibus eſſe nequeunt; vel in conditionibus extraneis, quae adeſſe aut abeſſe poſſunt, natura morbi adeoque et nomine generico non mutatis. Hae accidentariae, ſecundariae: illae eſſentiales, primariae, differentiae audiunt. Utriusque generis utiliſſima eſt cognitio. Prius exhibet diverſas poſſibilium morborum naturas: poſterius morbos conſiderat, ſuis terminis

minis circumſcriptos, quales in ipſis hominibus Medico cognoſcendi et curandi offeruntur. Liquet hinc ſimul, quo ordine pertractari debeant.

122. Jubet autem ingens morborum numerus et multifaria complicatio geometrarum ſequi methodum in exponendis eorumdem naturis, tironemque praemiſſis ſimplicioribus ad intellectum compoſitorum evehere.

123. Neceſſum itaque erit quamplurima vitioſa ſeorſum conſiderare, quae vix aut nunquam ſingula in aegris occurrunt, et multos ſimplicioris ingenii affectus inter morbos referre, qui pervulgato loquendi more pro morbis non habentur (38.), aut quos Pathologi etiam cauſarum titulo adſcribunt. Nimirum univerſalis quaedam datur inter partes humani automatis conſpiratio, qua uti in ſanitate mutuam ſibi opem praeſtant, atque aliae alias naturae legibus adaptant, ita in ſtatu morboſo una patiuntur, ſuasque affectiones invicem communicant. Unde in praxi raro veri occurrunt morbi, quorum ſimpliciſſima idea nihil mixturae habeat. Ineſt etiam in ſanitate robur aliquod, quo ſe adverſus vitia ſingularia tuetur, nec a ſolitaria

ria cujusvis partis alienatione functionum suarum tenorem statim perturbari sinit: ut adeo plerumque morbus tum demum erumpat, cum latius se diffudit malum.

124. Non tamen est, cur eapropter doctrina de isto morborum genere hoc loco praetermittatur. Facit certe plurimum ad intelligendos compositos, qui ex confluxu simplicium oriuntur. Quin et seminiis morborum (75.) post tradendis lucem affundit. Immo vel in ipso artis usu tanti ea momenti est, ut in curandis aegris perpetuo adhiberi debeat: nisi enim remedia et medendi methodus diversae individuorum constitutioni prudenter accommodentur, saepe plus noxae, quam emolumenti affertur (120.) *). Nec vero refert, an morbos velis, an potius affectus, vitia, diatheses, appellare.

Morbi Simpliciores.

125. Qvvm morbus corpori inhaereat (36. 42.), in partibus, quae id constitu-

*) Vid. I. Hvxham Lib. de Febribus Cap. I. III. IV.

ſtituunt, ſedem habebit, proque harum diverſitate et ipſe diverſus erit.

126. Inde continentes occupabit, aut contentas, firmas partes, aut, quos continent, ſuccos. Haec prima morborum differentia.

127. Utrumque porro partium genus ſuis inſtructum eſt conditionibus, quibus ad ſua quodlibet munia aptum redditur. Iſtarum vero aliae communes ſunt, aliae ad ſingulas cujusvis generis ſpecies plus minus reſtrictae; prout hae diverſis modis ad functiones ſanitatis conferre debent. Neutris carere ſani poſſumus: nec priorum alienatio minus, quam poſteriorum, nocet. Unde altera naſcitur morborum differentia.

128. Eſt et mutua quaedam partium ad partes, conditionum ad conditiones, relatio ac proportio, qua ultra citrave aberrante non ſymmetria tantum, ſed functionum quoque juſta harmonia vitiatur. Ex quo reſpectu ulterior morborum ſubdiviſio profluit.

129. Secundum has claſſes (126. ad 128.) morborum ſimpliciorum hiſtoriam ordine exponemus. Dicenda autem plenius intelligentur, ſi, quae de materie corpus humanum conſtituen-

te caſta chemia demonſtrat, praemittantur.

Partes, quibus humanum corpus conſtituitur.

130. CORPVS humanum, ſi contrectabilem materiem ſpectes, ex humido et ſicco exquiſite mixtis conſtat.

131. In diverſa utriusque (130.) proportione ac compoſitione multiplicium conſiſtentiae graduum, quibus partes C. H. inter ſe diſcrepant, ratio potiſſimum ſita eſt.

132. Humidum aqua conſtituit, duriſſimis partibus aeque ac fluidiſſimis indita ſuccis, qua ablata, nil niſi ſiccum ſupereſt.

133. Mobiliſſima haec materies, leni calore fugax, maximam univerſi corporis molem conficit, fluidumque in ejusdem ſuccis, molle ac flexile in firma compage producit.

134. Siccum cohaerentius, inertius, calore aegrius diſſipandum, in triplicem materiem differentis naturae reſolvitur; inflammabilem, quae ignis pabulum; ſalinam aquae amicam; terream denique, quae igni et aquae reſiſtit.

135. In-

135. Inflammabile, coloris calorisque ſedes, acrimoniae ſalinae temperamentum, tenacitatem per firma et fluida diffundit.

136. Salinum, phlogiſto adhaerente obtuſum, aqua dilutum, ſuo interventu hanc illi conciliat.

137. Terreum, totius machinae baſis ac firmamentum, adverſus aëris, ignis, aquae injurias praeſidium, hinc per omnes corporis partes, non aequa tamen proportione, diſtributum, fluidis ſuam ſingulis denſitatem, firmis ſtabilitatem infert conſentaneam.

138. Quatuor iſta (132. 135. 136. 137.), etſi multum inter ſe diverſa, in ſtatu ſuo nihilominus exactiſſime permixta ſunt; ut nulla in particula firma, vel fluida, alterum ſine altero, ubique invenias omnia, nec niſi nocivo impetu ſincerum aliquod a reliquorum conſortio abſtrahi poſſit. Quo circa nec credibile eſt, naturam in fabricando corpore, augendo, nutriendo, elementis uti diſparatis, quae primum inter ſe miſceat, atque alia cum aliis componat eo ordine ac proportione, uti cujusvis partis indoles exigit. Immo vero moleculas adhibet jam mixtas, congruaque

harum aggregatione ac varia denſatione ſuum opus perficit. Hujusmodi profeсто ſunt etiam, quae de corpore decedunt, detrimenta reparanda, et quae in ſuccis nutritiis fluitant, aut ex alimentis eliciuntur, particulae alibiles. Nec major virium naturae humanae modus eſſe videtur.

139. Mixtionem (138.) inſuper firmat cohaerentia, qua heterogenea inter ſe continentur, ne ſponte divortium faciant, nec vi externa, niſi aegre, a ſe mutuo avellantur.

140. Vis tamen cohaerendi uti non eadem eſt inter atomos cujusvis materiae ſeorſum ſpectatae; ita nec inter diverſas commixtas aeque magna promiſcue viget. Aliae aliis affiniores ſunt: dantur et, quae ſe invicem repellunt, nec, niſi proxenetae interventu, connubium ſtabile ſubeunt.

141. Humidi (132.), quam ſicci, (134.), levior cohaeſio eſt. Quo fit, ut ex diverſa alterius cum altero mixti proportione diverſi conſiſtentiae gradus emergant.

142. In ſicca materie terreum (137.) prae aliis cohaerentiſſimum eſt, atomorum ſuarum in proximos contactus com-

compactione duritiem daturum vix edomandam; nisi aliorum interventu molliretur. Id solum superest, cum ignis et aëris violentia cetera disjunxit, dissipavit. Duriora ossium corpora, igne ad alborem calcinata, suam tuentur cohaesionem ac formam; tametsi, praeter terram, nil reliquum habeant, et ne illam quidem sic addensatam, ut non permultis passim porulis hiet. Inde quo pars quaelibet plus terrae congestum constipatumque continet, eo firmius cohaeret. Quod corpus humanum ex multis junctis unum quid sit ac permaneat, singulaeque ejus partes tamen inter se non confundantur, terrae potissimum debetur. Hic hominis sceletus chemicus: hoc principium cohaesionis, quietis, inertiae.

143. An autem glutine opus est interposito, aqueo, pingui, quo terreae particulae, sponte dilapsurae, inter se conferruminentur? Immo vero opus est, quoties cohaesio fluida, mollis, flexilis, friabilis, i. e. non prorsus rigida requiritur, quam intractabilem terra mera faceret. Sufficit huic proximus suarum particularum contactus ad cohaerendum: alienorum interventus cohaesionem

nem modo attemperat, quae tanto laxior eſt, quo iſtorum ad terram major ratio. Nec contra facit, quod calcinatis oſſibus, cum āqua vel oleo imbuuntur, major reddatur firmitas: poros illorum (142.) aut vacuos, aut ſaltem aëre repletos, cum ſubit, hoc expulſo, humor longe denſior, numquid augeri cohaeſionem neceſſe eſt? Ipſa etiam glutina ſuam terrae, quam continent, cohaerentiam debent.

144. Cur igitur partes corporis humani, igne exuſtae, in cinerem fatiſcunt non cohaerentem? Excuſſis volatilibus vacui naſcuntur in maſſa terrea loculi, quibus fit, ut hujus moleculae a proximis contactibus longius abſint. Quin et bonam terrae portionem una in auras diſſipari, docet fuligo, tum ſpiritus, ſalis, olei, quae excutiuntur, depuratio. Inde partes magna materiae volatilis copia ſuffertae hoc phaenomenon duntaxat exhibent; non item quae terra compactiore ſunt ſtipatae (142.).

145. Aquae et terrae, ad oppoſita cohaerentiae extrema conſtitutis (141. 142.), nec nude ſociabilibus, ſalinum 126.) et inflammabile (125.) interponitur, hoc terrae, illud aquae amicum, alte-

alterum quoque alteri facile coalescens; ut adeo horum interventu dissidentes materiae concilientur. Aqua sic sali nubit, sali phlogiston, huic denique terra, et mixtio omnium stabilis emergit, gradu cohaesionis, qua inter se ligantur, eumdem ordinem sequente, ut privato singulorum ingenio ac mutuis affinitatibus consentaneum.

145. * Minime tamen dissimulandum est, novissimis Suecorum experimentis, quibus acidum phosphoricum ex animalium ossibus ad alborem usque calcinatis, interventu acidi vitriolici, acquiri posse constat, utcunque credibile fieri, terram illam, ut ut exustissimam, neutiquam sinceram esse, sed aliquantum acidi illius singularissimi continere, eoque a quibusvis aliis terrarum simplicium speciebus discrepare. Unde porro inferri queat, acidum istud, sua natura fixissimum, loco ferruminis esse, quo terreae moleculae consolidentur. Cum conclusioni dubia quaedam obstent, quae ulteriore scrutinio forte expedientur, consultius fuerit nihildum decernere.

146. Quare constat, partium humani corporis materiaturam ubique eamdem esse, elementa eadem; differentiam

 vero

vero diverſae horum proportioni debe-ri. Abundans ſiccum cum pauco hu-mido firmitatem efficit; fluorem contra oppoſita utriusque mixtio. Nec aliter dura pars a molliori, aut humor craſſus a tenuiori, diſcrepat.

147. Aucta igitur proportione ſicci ad humidum, hujusve ad illud, humor in partem firmam converti, aut haec viciſſim in humorem redire poterit; pars firma durior, mollior; humor craſſior aut tenuior reddi. Cohaeſionis gradum ipſa mixtarum materierum proportio de-terminat. Naturae humanae familiare hoc opus, nulla licet arte imitabile, di-verſum genus elementorum non exigit.

147.* Notandum denique, quas dixi (132. ad 137.) contrectabiles C. H. ma-terias, prout mutua conjunctione ſuc-cos ac ſolida ejus conſtituunt, copioſo inſuper aëre communi intime perfuſas eſſe, qui non tantum mixtione, ſed ini-ta quoque cum illarum moleculis co-haeſione, ſuppreſſa elaſticitate ſua, inibi defixus veluti concorporatur. Quod cum in ſicca parte non minus, quam in humida penetrabiliore obtineat, illi-bata cujusque conſiſtentia; credas inter-num hunc aëra utrique naturae annu-

me-

merandum eſſe; niſi mavelis ſiccum potius dicere et in humido, ut ſalem in aqua, liqueſcere. Utique materiae ſiccae affinior videtur, cui quippe longe tenacius, quam humidae, inhaeret, et ex qua tanto aegrius expellitur, quo minus humidi in illa ſupereſt. Quemadmodum igitur aër externus vitae animali ſuſtentandae maximopere neceſſarius eſt; ſic idem internus partem non exiguam ad conſtituendam corporis animalis materiaturam conferre recte dicitur, tantoque majus profecto momentum videtur habere in mixtione quatuor materierum contrectabilium (138.), quia iſtarum aliae cum aliis diffident (140. 145.), aëris contra elementa cum ceteris omnibus et ſingulis indiſcriminatim coëunt.

An vero is ipſe etiam, ut inteſtinis fermentationis, putrefactionis, efferveſcentiae motionibus, de corporibus ex diverſa materie coalitis excuſſus, ſubtiliſſimis omnis generis ramentis, aqueis, ſalinis, oleoſis, quin et terreis (144.) permixtus, hodie pervulgato nomine aëris fixi celebratur, vinculum aut gluten vocari meretur, cujus interventu cetera corporum quorumvis, maxime-

meque organicorum, elementa inter ſe cohaerent atque continentur *)? Nova doctrina, experimentis quidem elegantiſſimis utiliſſimisque inſtructa, ſed vocum abuſu, idearum confuſione et paralogismis mirifice conſarcinata, cum rigidius examen ſuſtinere nequeat, vix niſi novitate ſua fautores ſibi conciliaſſe *viſa eſt* **), *et exploſa magna ex parte recentiorum experimentis, quibus conſtitit aërem illum non mere fixum, ſed phlogiſtico remixtum euolui quidem ex corporibus animalibus, quae in ſuas partes reſoluuntur, hanc vero euolutionem, ſatis quidem conſtantem, primam reſolutionis corporum cauſam non continere. Nec in putredine, vnica naturali via, qua corpora animalia in elementa ſua reſoluuutur, vni phaenomeno, licet conſtanter obuio, cauſa reſolutionis adſcribenda, quae in pluribus ad vnum finem concurrentibus latere magis videtur.*

Majorem fidem habere videntur, quae ſolers recentiorum induſtria detexit, in phlogiſtico

*) Vid. Experimental Eſſays by D. MAKBRIDE Eſſ. II. pag. 27 et ſeq.

**) Confr. J. D. HAHN Diſſertatio de aëre fixo a D. DE SMETH publice pro gradu defenſa, paſſim, praecipue Art. XVII. pag. 93.

ſtico principio corporum in ſuas partes reſolutionis cauſam eſſe ſitam adſtruentium. Sed iisdem difficultatibus preſſa opinio: relationes enim, actionis quantitatem, qualitatem, modos, huius principii penitus perſpicere nemini mortalium datum eſt. Hinc probabilior quidem, at nondum penitus demonſtrata recentiorum temporum doctrina, qua cauſam putredinis phlogiſton nimis copioſe generatum euolutumque poſuere, multum infirmatur, ad rigidius examen reuocata.

147. *Materiam tandem corpori noſtro ineſſe igneam, electricae analogam, magis minusue in actus ciendam, pro ipſius copia, vinculis, combinationibus, potentiarum externarum vi, caet. eamque vitae et ſanitati conſeruandis et morbis generandis, determinandis, admodum conferre, plurimae et ſagaciſſimae obſeruationes docent. Verum incomprehenſibilis in his hactenus natura humana multam quidem conjecturarum et diſputationum materiem largita eſt, veri firmique parum.*

148. Ex hac analyſi (130. ad 148.) non difficile eſt videre, quamobrem homo in vegetantibus ac animantibus materiem inveniat corpori ſuo nutriendo, augendo, reparando, idoneam? Aëreum, aqueum, ſalinum, phlogiſton, terreum, in utroque regno eadem ſunt, nec

nec difpar mixtio generalis. Unde et viciffim illis in pabulum cedit corpus humanum.

149. Liquet etiam, cur idem tam proclive in putredinem fit? Aëris interni, humidi ac inflammabilis elementi abundans copia, compagis firmae laxior pro magna parte cohaefio, fuccorum per hanc undique diffuforum multitudo, id genus corruptionis facile admittit. Ut merito admirabilis habeatur vitae potentia, quae machinam a morte ftatim putrefcentem, aëri proprioque calori, inftrumentis ad putredinem efficaciffimis, expofitam, per tot annos tamen incorruptam tueatur.

Morbi partium folidarum fimpliciffimi.

150. Idea folidi fimpliciffima eft, cum fpectatur, in quantum a fluido difcrepat. Id omni folido commune. Reducitur autem ad folam materiae cohaefionem (146.). Elementa materiem conftituentia utrobique eadem funt, variata tantum proportione (ibid.). Haec in firmis partibus a Medico praecipue atten-

den-

denda reſpectu cohaeſionis, cujus diverſos gradus terminat (147.).

151. Vitiorum igitur, quae in ſolidis cognoſci ac tractari poſſunt, ſimpliciſſima quoque ad cohaeſionem pertinent. Nec alia hic in elementis aut temperatura inveniuntur, quorum utilis et neceſſaria cognitio. Haec prima linea Pathologiae.

152. Cohaerentia autem duobus modis peccat, imminutione vel exceſſu: haec rigiditas, illa debilitas, vocatur. Hi bini morbi ſimilares. Tertio ſolutae unitatis nullus hic locus eſt; cum eo poſito ablata cohaeſio concipiatur, adeoque ſimplicis ſolidi idea evaneſcat.

153. Utriusque morbi (152.) ingenium declarat notitia juſti cohaerentiae gradus, quo firma compages muniis ſanitatis aptatur. Corpori, ex innumeris partibus compoſito, quarum ſingulae ſuis agitari motibus, nec mutuis tamen nexibus elabi debebant; humoribus inſuper perfuſo non continendis tantum, ſed et diverſimode movendis, dirigendis, mutandis; nec lapidea durities, nec mollitudo quaevis, congruere poterat. Ut adeo medius quidam inter oppoſita extrema gradus tenacitatis ſanum robur conſtituat.

154. Cohaeſio etiam ſanitati congrua non *omni vitae tempore nec* in omni parte eadem eſt, ſed cuivis ſuo data modo, diverſa pro vario, cui deſtinatur, uſu. Firmitatis linea, inde a termino fluiditati contiguo, inque hanc veluti abſorpto, ad oſſis usque duritatem protenſa, quamplurimos intercipit minoris majorisque cohaeſionis gradus, ſuis ſingulos partibus convenienter aſſignatos; quorum permutatio oeconomiae humanae intolerabilis.

155. Eſt etiam, ut generatim ſanitatis, ita roboris legitimi ſolidorum, latitudo quaedam, ſi diverſorum hominum corpora, ſimilesque horum partes firmas inter ſe comparaveris, ut aetate, ſexu, temperamento, etc. a ſe mutuo diſcrepant. Gradus cohaeſionis in homine ſingulari congruentiam proportio harmonica magis, quam abſoluta menſura, determinat.

156. Unde patet, eumdem cohaerentiae gradum alias naturalem, alias morboſum eſſe; nec vitia exceſſus aut defectus, niſi ex ſymmetria reliquarum corporis conditionum, dijudicari poſſe.

157. Debilitas itaque dicatur materiae ſolidum componentis niſus in cohaeſio-

haesionem tam parvus, ut ferre motus nequeat, quos vitae ac sanitatis munia exigunt, quin nimis cedat.

158. Nec tamen sana habetur corporis partisve cohaesio, quae exquisitissimae tantum vivendi rationi respondeat, modicos errores impune non subeat. Beneficio Creatoris homini in tanta rerum vicissitudine constituto atque ad altiora nato sanitas contigit; quae nec minoribus injuriis statim labefactetur; ne perpetuo, aut aegrotet, aut observationi et curationi corporis intentus esse deceat.

159, Debile (157.) autem, vi majore actum, aut salva cohaesione nimis distrahitur recursui impar, aut ruptum plane dissolvitur. Unde duo nascuntur hujus vitii genera, quorum quodvis suas iterum species sub se habet pro partium diversitate discrepantes.

160. Ad primum genus referatur

1. Laxum, Flaccidum, in partibus mollibus, quae vi minore ultra modum se extendi, distorqueri, aut dilatari patiuntur.

2. Iners, in partibus natura elasticis; cum cerea mollitie lentae impressos mo-

tus ſuffocant, nec inſito niſu in ſtatum priſtinum reſiliunt.

3. Flexile, in oſſibus, quae, amiſſa ſtabilitate, potentiis diſtorquentibus aut prementibns nimis facile cedunt, neque vel ſuam, vel ceterarum corporis partium, quibus pro ſuſtentaculo ſunt, formam ſatis tuentur.

161. Genus poſterius (159.) comprehendit ·

1. Tenerum, Gracile, in mollibus partibus, quarum fibrae, quia juſto exiliores ſunt, diſtractae, citius, quam par eſt, rumpuntur: diatheſis utplurimum quidem ſpecioſa, ſed ob nimiam, cui non raro juncta eſt, mobilitatem tanto periculoſior.

2. Tabidum, itidem in mollibus, quae corruptis, quos continent, ſuccis maceratae, aut aqueis, oleoſis, mucilaginoſis, diu fotae, acribusve eroſae, contabeſcunt et friabiles redditae omnem tenacitatem amittunt. Putredo, concitato motu inteſtino, aërium, aqueum, ſalinum, phlogiſton, agitat, de terrae interſtitiis evolvit, terram ipſam ſic una in motus ciet; ut hinc cohaeſio minuatur. Docet carnium ex incipiente corruptione naſcens delicata teneritudo, aut

diu-

diutius aqua excoctarum consistentia friabilis.

3. Fissile, in partibus natura tenacioribus; cum ob contextum sicciorem minus obsequiosae distrahi nequeunt, quin rimas trahant et cohaesione laterali fibrarum soluta findantur.

4. Fragile, in ossibus, quorum materies pingui et glutine emuncta, acri exesa, destructa cohaerentiae firmitate, ad leves motus frangitur.

162. Omnium istarum debilitatis specierum (160. 161.) generalis causa sita est in elementi terrei, quod basin solidorum constituit (142.), particularum contactibus justo paucioribus, nec sat arctis, aut intestino motu relaxatis: horum enim numero et proximitati vis cohaesionis respondet. Inde connata, aut victus ratione nimis tenui acquisita fibrarum exilitas; succorum prae solidis multitudo; aëris, aquae, muci, pinguis, copia inundans; aut et eorumdem absque terrae compactione emunctorum defectus (143. 144.); violenta partium ultra tonum distractio; acre varium, firmis per humores insinuatum, amicam aquam trahendo, retinendo, phlogiston solvendo, gluten attenuando, terram

exedendo, omnia inter ſeſe commovendo, eo deducunt. Confirmatur haec ἀιτιολογια oſſium generatione, incremento, analyſi, morbis horumque remediis: ineſt quippe in oſſibus materies terrea copioſior, compactior nudiorque, quam in ceteris minus denſis partibus, ſuumque adeo in conſolidando principatum in illis tanto apertius declarat.

163. Qui vero duplicem conſiderat noxam, cui debile ſolidum exponitur (159.), et cum requiſitis ſanitatis in diverſis partibus comparat, is facile videt, ſeminium in hoc vitio dari plurimorum magni momenti morborum; maxime ſicubi ex incongrua vivendi ratione aut aliunde potentiae nocentes acceſſerint.

164. Rigiditas (152.), affectio priori oppoſita, hinc intelligitur: ponit enim excedentem in ſolidis cohaerentiam, qua diſtractioni ſuae plus reſiſtunt, quam modus ſanitatis (153.) requirat aut impune ferre poſſit.

165. Efficit autem, prout in diverſis partibus vario gradu ineſt, aut inſuperabilem firmitatem, aut fragilitatem flecti neſciam. Quocirca et hic duplex diſtinguere genus licet et ſequentes horum ſpecies internoſcere:

1. Te-

1. Tenax, in partibus mollibus; cum aegrius ſeſe diſtrahi ac diſtendi patiuntur. Exemplum in carnibus annoſorum animalium.

2. Durum, in mollibus quoque; ſicubi praeter naturam *dureſcentes*, *aut* in cartilaginem, os, aut petram mutatae ſequaces eſſe deſinunt.

3. Fragile, Vitreum, in oſſibus, a fragili (161. 4.) ſpongioſo diverſum, naſcens ex majore materiae condenſatione, qua fit, ut impetu fortiore rumpantur potius, quam tantillum cedendo cohaeſionem tueantur. Docent oſſa hyeme et in ſenibus etiam ſaniſſimis fragiliora. Nec molles etiam partes ab hoc vitio prorſus immunes ſunt.

166. Ponit hic ſtatus (165.) elementum terreſtre in ſolidis ultra modum abundans, nimisve compactum; ut hinc propiores juſto ac numero auctos habeat contactus mutuos, interpoſiti aëris ac humidi defectu laborans. Antecedunt igitur conditiones ſupra (162.) memoratis contrariae, ex nativitate, ſexu, temperamento, vitae ratione, ambientibus, potentiis mechanicis etc. repetendae. Eſt praeterea in ipſa vitae ſanae, etiam moderato tantum tenore fluen-

tis, durationis tacitus quidam, at jugis ad corporis rigidationem progreſſus, quem tuto effugere nemini licet: cum enim natura, in organis ad ſua quaeque munia aptandis roborandisque inde ab ortu perpetim operoſa, primaevam illorum mollitudinem denſando paullatim plenam mediae aetatis firmitatem, cuique parti conſentaneam, induxit; eodem opere, dum vita durat, continuato, utique neceſſum eſt, nimia tandem compactione roboris exceſſum i. e. rigiditatem inferri; quae idcirco naturalis ſenectutis comes, fatique ſenilis lege inevitabili conſecuturi prodromus.

167. Efficit autem multiplicia circuitus humorum, ſecretionis, excretionis, nutritionis, incrementi, motuum ac ſenſuum, impedimenta; prout vel in univerſo corpore; vel in ſingulari hujus parte obtinet.

168. Utrumque vitii genus (159. 164.) tam late patet, ut firmarum partium nulla iis non obnoxia ſit; quum id afficiant, quod omnes inter ſe commune habent. Itaque non tantum pertinent ad ſolidum minimum, ſimpliciſſime ſpectatum; ſive id fibrulam eſſe finxeris, ſive laminulam, aut informe coagulum; ſed etiam ad

ad membranas, canales, viſcera, carnes, ligamenta, tendines, cartilagines, oſſa, etc. quibus ſolidum minimum pro communi materiatura eſt. Nec excipiuntur, quae ex canalibus compreſſis, ſiccatis, exhauſto denſatove, quem continent, ſuo liquore concretis, compinguntur magis aut craſſeſcunt partes; nec quae per epigeneſin quovis demum modo accreſcunt.

Morbi ſolidi vivi.

169. SOLIDVM vivum dico, quod vi vitali pollet.

170. Vis vitalis ſolidi eſt, qua illud ad contactum irritamenti ſe contrahit, criſpat.

171. Irritamentum eſt, quidquid contactu ſuo vim vitalem (170.) ad agendum ciet. Eo autem non tantum acria mechanica, chemica, etc. referuntur, ſed et alia multum diverſae virtutis, et vel blandiſſima, quae ſolidis vivis intus vel foris admota aliquam ſtatus ſpontanei mutationem inducunt. Sunt autem occaſiones duntaxat, nec adeo verae cauſae contractionis; quum haec actio-

 ni

ni irritamenti minime, tanquam effectus, respondeat, nec ab eodem in solidum vita destitutum agente producatur.

172. Duas itaque in solido vivo concipere facultates licet; alteram quasi sentiendi *), qua stimuli actionem suo quodam modo percipit; alteram movendi, qua sese contrahendo vim vi opponit ac repellit veluti, quod quietis suae statum turbat.

173. Inde, cum vita in solido agit, series datur trium conditionum; irritationis

*) Dico facultatem quasi sentiendi, ne videar hic de vera sensatione loqui, quae ad mentem corporis incolam pertinet hancque cum conscientia affectam ponit. Corporalis est, quam volo, facultas, quorumvis animantium vitae propria, etiam in illorum partibus, de vivo corpore abstractis, aliquamdiu superstes: eademque nec in plantis deest, quas inter quae majore ejus gradu pollent, vel ideo quoque sensitivae solent appellari; quoniam phaenomena edunt sensilitati humanae analoga. Atqui nec absimilia sunt, quae in solido vivo hominis, vi stimuli incitato, se manifestant, mente licet nihil sentiente: uti vice versa acres mentis sensationes vim vitalem non raro prorsus intactam relinquunt.

tionis puta, perceptionis ac contractionis; quae successione subitissima inter se confluunt, ac altera alteram excitant; quanquam non aequa virtute, nec semper eadem lege.

174. Perceptioni quidem constanter proportionata videtur contractio, pro minore vel majore illius gradu et ipsa minor majorve futura. At irritationem inter ac perceptionem haud similis semper obtinet ratio, sive stimuli naturam spectes, seu, quas afficit, partes. Immo vero discrepantia hic datur multiplex, nec ad certas leges redigenda.

175. Quamvis enim credibile sit, vim istam per universum corpus vivens diffusam esse; ratio tamen et experimenta suadent, non aequaliter in singulis partibus vigere, sed aliis acutissimam, tenacissimam, insidere, aliis diversimode efficacia, mobilitate, duratione minorem, nonnullis etiam minimam, quae vix aperte se prodat. In huius scalae summo gradu Cor stare, proxime sub hoc Ventricnlum et Intestina, dein Diaphragma, tandemque ceteros musculos, sagax HALLERI industria detexisse videtur: quod ipsum et obser-

vationibus Practicorum mirifice confirmatur.

176. Diversi quoque istius virtutis gradus in toto homine notantur pro varia aetate, sexu, temperamento, vitae genere, statu graviditatis, puerperii, etc. Facit et idiosyncrasia differentiam, et insuetudo.

177. Unde fit, ut ejusdem irritamenti applicati actionem non quisque homo, aut quaelibet hujus partes, aequali gradu sentiant, eademque res et stimuli loco esse et non esse possit in diversis, et in iisdem etiam alio atque alio tempore.

178. Est et consensus aliquis ac conspiratio inter vivas partes, qua fit, ut altera alteram in communes contractiones cieat, cum una modo lacessitur: ut adeo pars singularis irritata nonnunquam et universum corpus exagitet. Sic motus nascuntur alias salutares, alias detrimentosi (99. 104.).

179. Animalis etiam vis, quae sensus regit, cum vi vitali communicat, et vehementer affecta huic pro irritamento esse potest, ut haec vicissim illi. Quocirca et mentem hominis isti commercio implicitam esse constat.

180. Haec (169. ad 180.) consideranti obscurum esse nequit, quanti momenti effectus cum in sanitate, tum in morbis, ex principio vitali profluant. Nititur eo magna pars virium naturae humanae conservatricium, destructricium, medicatricium (4. 5. 37. 51. 99. et seqq.). In hoc dum agunt stimuli morbosi, aliae atque aliae nascuntur affectiones, prout diverso ejus gradu homo ab homine (176.), pars a parte (175.) discrepat. Huic potissimum debentur naturae illa molimina, quae fontem alterum symptomatum (101.) constituunt. Denique et plerorumque remediorum operationes ab hac ipsa vi motrice pendent.

181. Hoc Ἐνορμῶν Hippocrati dictum, quicunque ad mentem hominis referunt, haud satis apposite explicant, cur id sine conscientia agat, nec obediat voluntati, et vel in partibus de corpore vivo resectis aliquamdiu supersit? Rectius itaque corpori videtur tribuendum; tametsi aliqua parte mentis imperio subditum esse actiones voluntariae testantur.

182. Quum vero ejusdem actio non adeo in humoribus, sed in solidis se manife-

nifeſtet; his potius, quam illis, id inſidere dixeris: ita tamen, ut credi poſſit, aliquid ejus in ipſis humoribus, unde ſolida naſcuntur, jam occulte ineſſe; niſi mavelis, ſub ipſa ſtatim concretione indi, naſcive: vtique tum primum, ſi qua, ejus dari obſervationem dicas.

183. Adeſſe vero aut abeſſe cum poſſit, ſolido integro, ad hujus in ſe ſimpliciter ſpectati naturam id referre vix licet. Quocirca male in firmarum partium elementis, horumve mixtione, aut glutine, quaeritur; ut quae a morte ſuperſunt, nec admodum mutari videntur. Stamen ſolidi, ut ſimpliciſſimum mente fingitur ex terreis elementis, glutine junctis, revera exiſtere non conſtat, nedum vivere.

184. Nec juvat precario aſſumere fictitiam in ſolido fabricationem, ut vis iſtius fundamentum; quum legibus mechanicis locus hic non detur (174.): neque adeo de fabrica ſolidi quaeritur, ſed de vi, qua id agit.

185. Elaſticitas quoque, gravitas, attractio, repulſio, effervefcentia, exploſio, et reliquae corporum inanimorum vires, phyſicis chemicisque celebratae, cum aliqua veri ſpecie huc trahi nequeunt.

unt. An vis electrica? Novitas impulit, ut post innumeras hypotheses, tempore dissipatas, etiam de vi electrica motibus vitalibus praeficienda sit cogitatum: sed spes concepta decolavit, phaenomenis utriusque vis motricis inter sese sine ambitione collatis.

186. Quare vim vitalem merito ab omni alia corporum vi motrice hucusque detecta distinguimus, ut principium sui generis, viventibus inditum, quod privas sibi in agendo leges sequatur sola observatione detegendas. Illud vero cum per totam universitatem corporum organicorum viventium, animantium, vegetantium, zoophytorum, vario quidem in diversis gradu, quoad vivunt, sese actuosum praestet; neque extra istorum pomoeria, uspiam in corporibus inanimis inesse constet; quin et viva a mortuis distinguat; inde factum, ut homines, ab omni aevo, motus tremulos et palpitationes animalium in frusta sectorum, viscerumve de viventibus evulsorum, sponte, vel stimulo concitatas, ut vitae reliquias, ad vim vitalem retulerint. Cur igitur hodie indefinitae voces irritabilitatis, mobilitatis, agilitatis, etc. magis placent?

187. Quando autem nulla aſſignari particula poteſt, quae, dum vita gaudet, mero conſtet ſolido, nec materie fluida plus minus perfuſa ſit (182.); et mollitudo fibrae magis etiam, quam durities, favet vi vitali; haecque ipſa, etiam in vivaciſſimo corde, a cauſis longe ab illo remotis, iisque leviſſimis, non raro deliquium patitur; in partibus autem a corpore ſuo ſeparatis, hujus commercio deſtituta, fugax cito evaneſcit; dubitare profecto licet, utrum ſolida eam ſibimet ipſis ingenitam habeant? an vero potius influam aliunde accipiant, nec, niſi jugi, qualicunque demum, ex eadem ſcaturigine influxu, diu conſervare poſſint? Nervis hic plurimum deberi obſervationes pathologicae et experimenta certum faciunt.

188. Ex quibus (169. ad 188.) conſequitur, tanti hoc motus principium momenti eſſe, ut non a Phyſiologis modo, ſed et vel maxime a Pathologis attendi mereatur; et ſua id vitia pati poſſe, quae et frequentiſſima ſint, et ſive ſolitaria, ſive cum aliis morbis complicata, multifarias functionum perturbationes inducere queant, nec tamen inter ſimilares, elementarios, temperiei, toti-

totiusve ſubſtantiae, aut et organicos ſolidorum morbos, veteribus dictos, neque etiam inter humorum vitia a recentioribus addita, ſat definitum inveniant locum, atque adeo ſingularem ſibi titulum repoſcant. Quidni praeëuntem ſequamur HIPPOCRATEM? qui, praeter continentia et contenta, etiam τὰ ὁρμῶντα in homine contemplari cum ratione iuſſit.

189. Vis vitalis duplici modo peccare poteſt; exceſſu puta et defectu. Hunc torporem vocabo; illum irritabilitatem. Medius inter haec extrema ſtatus ſanitatem ponit. Cohaerentiae debilitatem aut rigiditatem (151.) nonnulli male cum duobus iſtis affectibus confundunt.

190. Irritabilitas mihi dicitur ſolidi vivi tanta ſenſilitas (172.), ut levibus ſtimulis in motus erumpat enormes, quibus aequabilis functionum tenor perturbatur.

191. Enormitatis motuum menſuram dat nota vis et applicatio irritamenti, collata cum intenſitate, duratione, reciprocatione, extenſione contractionum, quae inde conſequuntur. Ut ideo huic vitio obnoxiis intolerabilia ſint, quae ſani facile ferunt.

102.

192. Notetur tamen, quae intra limites ſanitatis conſiſtit, ſenſilitatis differentia in diverſis cum hominibus, tum partibus ejusdem hominis (175. ad 178.). Nec ſingularis etiam cujusdam ſtimuli intolerantia, ad idioſyncraſiam pertinens, mox pro morboſa affectione habeatur; quamvis inferre morbos poſſit.

193. Occupat autem iſte exceſſus aut univerſum corpus, quod una mentem quoque irritabiliorem ſibi plerumque junctam habet; aut partem modo ſingularem, cui, quod ſuo toti non rite attemperata ſit, levi quavis occaſione turbae naſcuntur.

194. Difficile eſt in tanta naturae virtutis vitalis ignoratione fontes detegere, ex quibus id vitium promanat. Docet tamen obſervatio, utplurimum ſimul adeſſe 1. delicatam ſolidae compagis teneritatem (161. 1.); alias et 2. ſtrictam fibrarum tenſionem, mobiliore elatere comitatam; 3. magnam ſenſuum agilitatem, quae cum mobilius ponat nerveum ſyſtema, ſimilem motuum vitalium affectionem comitari indicat (187.); 4. ſaepius et acrem humorum tenuitatem, *aut acredinem, coactis ſimul humoribus*; 5. ſyſtema circulationis agitatius. Unde

Unde haereditas, aetas junior, temperamentum mobile, sexus sequior, clima calidius, vitae genus lautum, sine exercitatione, aut et strictius regimen, cum meticulosa omnis insoliti evitatione, morbi acuti febriles, calidi, eo disponunt. A mente corpus irritabilius reddi (193.) non magis, immo minus etiam probabile est, quam illam ab hoc incitari. Dubium utique, an mentium humanarum intima detur differentia?

195. Generales, qui ex irritabilitate oriuntur, effectus reducere licet ad solidorum vibrationes tremulas, crispationes, tensiones, spasmos, convulsiones; ex quibus iterum dolores, anxietates, cavitatum contractiones, obstructiones, congestiones, inflammationes, et multiplex circulationis, secretionis, excretionis, aliarumque functionum impedimentum ac alienatio consequi possunt: uti facile est eruere, si quis irregulares illos motus ad varias corporis partes, membranas, vasa, viscera, glandulas, musculos, fibras motrices, organa sensuum, etc. applicat, habita simul consensus (178.179.) ratione. Unde dubites, utrum huic par affectio detur alia, quae tot tantisque hominem malis obnoxium reddat.

196. Torpor (189.) ſolidi vivi ponit imminutam vario gradu ſenſibilitatem, hinc ad irritamenta niſus in contractionem tam parvos, ut non ſufficiant iis producendis motibus, quos oeconomiae ſalus poſtulat.

197. Obtinet adeo vel in toto corpore, vel in parte ſingulari, et minore quidem majoreve receſſu a vigore naturali. Abolitio plenaria, univerſalis, vel particularis mors eſt.

198. Comitari eum ſolet 1. rudior fibroſi contextus craſſities, delicatae gracilitati (161. 1.) oppoſita, ob molem majorem aegrius mobilis; 2. rigiditas partium tenax, vel dura inflexibilis (165. 1.2.) ſuperpondio ac compactione terrae gravis; ſed et 3. laxitas ac inertia (160. 1.2.), ex colluvie aquoſa, mucoſa, pingui; 4. inde et craſis humorum frigida, aquoſa, viſcida, aut terreſtris denſior; 5. eorumdem lentior per vaſa motus; 6. ſenſuum denique ac animi motuum tarditas. Quaecunque igitur iſtas affectiones in homine producere poſſunt, torpori quoque inferendo apta habentur. Sunt autem contraria memoratis (194.), adeoque ex his intelliguntur.

199. Nec difficulter perſpiciuntur mala, quae ex hoc vitio in omne genus functionum redundant: quando harum nulla eſt, quae principii vitalis influxu impune carere poſſit. Morbi praeſertim chronici inde naſcuntur valde refractarii, quin inſanabiles; quum ob naturae virium languorem et medicamenta parum valeant (18. et 180.)

Morbi ſolidorum continentium.

200. NON alia datur generalior eademque evidentior firmarum hominis partium conſtructio, quam illa, qua cavitates efformant, magnitudine, figura, decurſu, diverſiſſimas, admittendis, continendis, transmittendis, vehendis, ſecernendis, expellendis, variis materiebus idoneas: ut ideo univerſa corporis compages ſolida continentium titulo comprehendi queat. Quamvis enim non credibile videtur eam totam ex meris vaſis conſtare; certum tamen eſt, propriam, praeter vaſa, partium naturam, non in mollibus tantum, ſed in duriſſimis, plus minus humidi intime infuſum habere (132.), quod ſolidi concrementi

porulis ac interſtitiis contineri recte dicas.

201. Cavorum vero ſingula ſuum habere modum, qui ſanitatis muniis maxime conveniat, docet Phyſiologia. Ab hoc igitur ſi ultra vel citra recedunt, morbi naſcuntur et notabiles, et valde frequentes ob magnam cum parietum, tum contentorum, mutabilitatem.

202. Hos inter praecipue exponi merentur, qui ad cavitatis ſuis lateribus interceptae, aut luminum, quibus admittit vel emittit, magnitudinem pertinent exceſſu defectuque peccantem: ſunt enim prae caeteris manifeſtiores, et multiplici magni momenti noxa graves, variorumque malorum, quae inde oriuntur, naturam declarant.

203. Magnitudo cavi oſtiive praeter modum aucta, ſuas in ſpecies diſtributa, ponit

1. Dilationem, Ἔυρυσμα, cum parietes cavitatis nimium inter ſe diſtantes, ſpatium juſto capacius circumſcribunt. Obtinere poteſt in quibuscunque cavis corporis, majoribus, minoribus, quorum parietes diſtenſionem admittunt, ſive canales fuerint, ſinus, receptacula, pori, cellulae, aut interſtitia. Oritur

tur autem, ſi contenta materies majore vi in latera agit diſtendendo, quam haec ſuperare contra nitendo queant. Quo facit congeſta in cavum uberior moles, volumen ejus expanſione auctius, impeditus trajectus, impetus advectorum enormis; parietum robur imminutum, aut eorum, quibus a foris fulciuntur, ablatio.

2. Ἀναςόμωσιν, quae Pathologis vocatur oſtii cavitatis, quod admittit, aut emittit, immodica laxatio. Unde fit, ut plus aut aliud quid, quam lex ſanitatis exigit, introeat exeatve. Efficere hanc eadem poſſunt, quae dilatationem (1.); ſphincterum praeterea, ſi quos orificia habent, reſolutio.

3. Διαπήδησιν, quae adeſſe dicitur, cum fibrae membranas cavitatum contexentes, diſtractae, a mutuo contactu ita recedunt, ut, absque continui ſolutione, interſtitia hiantia naſcantur, quae, textilis ad inſtar, tranſudare ſinant humorem, qui contineri debuerat. Producitur id malum ab iisdem conditionibus (1.), ſed majore gradu, diutiusve applicatis, et quidem ad cava, quorum parietes contextu ſubtiliore gaudent, aut vitio laxiores ſunt (160. 1.).

4. Διαίρεσιν, cum ob cohaesionem fibrarum vere solutam parietes cavorum, qua integri requiruntur, perforati sunt, aut ostiorum margines illato vulnere nimis ampliati. Quod effici potest vi mechanica externa, secante, pungente, contundente, lacerante; aut ruptione a contentis distendentibus illata, quae ῥῆξις audit; aut erosione ab acribus, quam διάβρωσιν vocant.

204. Quodsi potentiis nocentibus modo enumeratis accesserit naturalis aut morbosa debilitas (157.), vel torpor (196.), universi corporis partisve singularis (154. 155. 175. 176. 197.), concursione istorum seminiorum (75.) facilius etiam haec mala (203.) producuntur.

205. Priores quidem tres affectiones (203. 1. 2. 3.) non adeo plane praeter naturam sunt, ut non in statu sano, modico gradu, quoque obtineant, et facile ferantur, imo ad diversa vitae munia etiam requirantur: uti varias partium per aetatem mutationes, impositas sexui utrique, praesertim sequiori, functiones etc. consideranti patet. Unde tum demum pro morbis haberi possunt, cum modum naturae excedunt, aut ordine, tem-

tempore, materie, partibus, incongruis eveniunt.

206. Innotescit etiam, quatuor haec vitia (203. 1. ad 4.) gradu potissimum inter se differre, et quodvis posterius ex priore semel nato produci posse; dilatatione, cum ad ora meatuum usque se extendit, in anastomosin; aut cum augetur, in diapedesin; hac denique in diaeresin abeunte. Quod notatu apprime utile, ut venienti malo in tempore occurratur; quando species anteriores facilem saepe sanationem admittunt; non item vera continui solutio.

207. Effectus autem multiplices inde consequuntur, qui, rite animadversi ac singulis corporis partibus applicati, plurimorum graviumque morborum originem declarant.

Dilatatio quidem tumores producit, eosque saepe immanes, si parietes tenaciores vim lente distendentem diu experiuntur: tum vero natura quoque, ne tenuati rumpantur, quandoque cavet densatione, incrassatione, novisve laminis per epigenesin foris vel intus appositis, cavitatum latera roborando: *cavet etiam dilatante materia, quae continentium lateribus adjacet, tantum densata, ut la-*

teribus canalium munimento ſit. Multiplex hinc conformationis a ſtatu ſano receſſus, incautos fallens, qui ex particulae per morbum ampliatae habitudine naturalem ejusdem fabricam colligere ac explicare ſuſtinent, tanquam ſi, praeter magnitudinem, nihil quidquam alienatum fuiſſet. Violentior diſtractio rupturas infert: unde contentorum elapſio, et quae ex hac ſequuntur, innumera mala, nonnunquam etiam bona. Materiae in cava diſtenta protruſae impetus major, impedito tranſitu, motu vitali aucto, aucto calore, inflammationem, ſuppurationem inducit; aut creſcente aeſtu, concitata putredine, vi preſſionis intercepto in vaſcula parietum partiumque vicinarum influxu vitali, mortificat, *aut retardato per gradus interceptoque tandem progreſſiuo motu, acrimonias acquirit alias, varias natura, rodentes ſaepe et irritando ſolidum viuum in motus enormes concitantes.* Si tenuior pars materiae, in cavum amplius congeſtae, per os anguſtius, aut per laterum diapedeſin (206.), exſudat, retenta craſſior, paullatim denſata, tumores ſolidos, molles, duros, efficit.

Ana-

Anaſtomoſis, ex protracta dilatatione tandem naſcens (206.), ſubito nonnunquam dimittit aggeſtam diu cohibitamque materiem, finemque malo laetum, triſtem, imponit. Ex aliena materie per oſcula meatuum ampliora intrante, aut exeunte, errores loci, obſtructiones, ecchymoſes, exanthemata, ſecretionum ac excretionum turbae, varii tumores, oriuntur.

Nec diſſimilia ſunt, quae diapedeſis aut diaereſis, ocyus, ſerius, ſuperveniens producit.

Quando autem parietes cavorum, diu fortiterque diſtracti (161.), vim ſeſe reſtituendi demum amittunt, aut in eo ſtatu obrigeſcunt; non eſt, cur quis miretur, noxas ex hoc fonte naſcentes haud raro tam diuturnas, quin inſanabiles eſſe; maxime ſi principio negliguntur; quamvis etiam potentiae diſtendentes deinceps auferantur.

208. Eſt tamen in his morbis etiam aliquid medicati, quo natura utitur in ſalutem ſui corporis; cum aut multitudo humorum minui, aut nociva materies e communi eorum maſſa ſeparari, expelli debet. Haemorrhagiae, criticaeque

que aliae evacuationes ac metaſtaſes hoc potiſſimum adminiculo nituntur.

209. Alterum cavorum male affectorum genus morbos anguſtiae promit, quorum et ſpecies cognoſcere expedit, a veteribus praeciſe enumeratas, prout diverſis, quibus fiunt, modis inter ſeſe differunt.

1. Obſtructio, Ἔμφραξις, notat cavum congeſta materie ſpiſſiore, quae transmitti nequeat, ita repletum, ut pervium eſſe deſinat. Quocirca parietes cavi non in vitio ſunt, ſed quae his continentur. Haec autem diverſimode peccant. Liquor ſanus, legitimi fluoris, at errore propulſus in dilatata ora meatuum, qui natura anguſtiores vehendae tenuiori materiae tantum dicati ſunt: quod per anaſtomoſin (207.) evenire poteſt. Materies indigena, degener, juſto tenacior, mucoſa, phlogiſtica, pinguis, amurcoſa, empyreumatica, terrea, grumoſa, pultacea, purulenta, feculenta, etc. Materies aliena, calculus, gypſum, gluten, vermes; offae grandiores, oſſa, devorata; unguinoſa adfricta, et ſimilia, vel in corpore morboſe generata, vel a foris ingeſta, applicata, cavis ductuum aut orificiis impacta; ut nec

nec ipſa, nec, quae decet, alia transmitti queant. Huc et referre licet partis intra partem receptionem, volvulum, etc. de quibus poſt.

2. *Infarctus*, KAEMPFII *opera praeclare illuſtratus, ab obſtructione* (1.) *vix, niſi in eo differens, quod etiam continentium, ſi non morbos, ſaltim diſpoſitiones praeternaturales ponat, et in viſceribus maxime locum habeat, naſcitur, cum ſanguifera vaſa, praeſertim ex venae portarum ſyſtemate, abdominalia omnia aliaque a ſanguine lentius circulante tandemque ſtagnante, male mixto, jam per ſe et ſtagnationem corrupto, fluore ſuo orbato, polypoſo, indurato, infarciuntur, diſtenduntur, aut cum alii humores, billioſi, mucoſi, pituitoſi, in folliculis, receptaculis, vaſis congeſti, amiſſa fluidiore parte, et acredinem adepti variam, ſtagnant et continentia grauando, diſtendendo, premendo, irritando laedunt. Neruorum inde et vitalis fibrae affectiones intenſiſſimae morbique copioſiſſimi, pro materiae nocentis indole, copia, laeſionis modo, gradu, etc. naſcuntur.*

3. Obſtipatio, Στενοχωςία, viae anguſtatio, quae fit, cum parietes aut ſua craſſitie praeter naturam aucta, aut tubere intus prominente, cavitatem minuunt, tollunt. Congeſti in vaſculis aut inter-

interſtitiis tunicarum humores, chondrogenia, oſteogenia, lithogenia, emphyſema, tumores inflammatorii, purulenti, ſarcomata, polypi, carunculae, ſcirrhi etc. in texto parietum nata, ſi cavo imminent, huc faciunt.

4. Compreſſio, θλίψις, quando externa vis, cedentia cavitatum latera introrſum urgens, diametro per gradus imminuta, tandem diſtantiam eorumdem per mutuum intus contactum prorſus tollit. Tumores, oſſa fracta, luxata, ligaturae, pondera, potentiae comprimentes, contundentes, diſtrahentes, contorquentes, etc. id vitium creant.

5. Collapſus, Συνίζησις, cum latera cavorum, ob defectum materiae contentae non diſpanſa, ſubſidendo ad ſe mutuo accedunt. Ponit ergo parietes aut natura, aut diuturna ultra tonum diſtenſione, aliave cauſa, flaccidos, infirmos, et depletionem, praecipue ſubitam; ut, ſuſtentaculo ſuo interno orbati, proprio robore tueri cavitatem nequeant, quam tamen novo influxu facile recuperant; niſi ſubſidentiae compreſſio etiam (4.), aut diuturnae conglutinatio, concretio, acceſſerit. Tota moles corporea, vigente vita, tumet et

cum

cum renixu turget; illa autem in moribundis defetiſcente collabitur. Turgens plethorici habitus, ſi ducto ad animi deliquium usque ſanguine ſolvitur, totus ſubito ſubſidit *): idem vero et in parte ſingulari obtinere docet renitens tumor inflammatorius, cum in gangraenam abit, flaccide detumeſcens. Unde liquet iſtas mutationes diverſo vitae gradui deberi. Quaenam vero iſta vitae vis turgefaciens? an eadem vi vitali (170.)? at haec contrahit, criſpat ſolidum. Phaenomena declarant de ſanguinis circuitu, ut menſura vitae, hic cogitandum eſſe. Indubium quoque, turgorem et collapſum ad mollia corporis tantum pertinere; ut quae, ob laxam ſtaminum ſuorum cohaeſionem, affluentium humorum copia, inopia, rarefactione, denſatione, expandi collabive poſſint. Circuitu igitur vigente ſanguis calens, velociter ex corde in totum corpus propulſus, non modo apparatum partium vaſculoſum replet diſtenditque; ſed videtur inſuper in ſpatiola inania carnis cuique parti propriae (200.) tenuiſſimum fluidum, ſpiritum ſuum

*) HIPPOCR. Aphor. 3. Sect. 1.

ſuum (335.), halitus forma, aëre miſtum (147.*), elaſticum, ex oſculis, forte et ex parietibus arteriolarum διαπηδήσι diſtractis (203.3.) proflare, per venulas jugiter reſorbendum, aut foras corporis, vel in cava majora exſpiraturum. Utroque modo ſanum partibus induci turgorem conſervarique poſſe; quin et nimium, ſi velocitas ſanguinis calorque nativus ultra modum intenditur, quis non videt? Languente autem ſuppreſſove circuitu et calore, cum et influxu vitali partes priventur, et ſpiritus vaporoſus in liquorem contrectabilem, non elaſticum, voluminis minimi, concreſcat, utique collapſum conſequi neceſſe eſt *).

6. Contractio etiam huc referenda, qua parietes propria ſuarum fibrarum vi contractili ſua cava aut oſtia arctant, occludunt. Id vel lente et paullatim fit, vel ſubito et vehementer. Ineſt nimirum

*) Praeivit hanc doctrinam HIPPOCRATES, Lib. de Arte dicens: πᾶν τὸ ἀσυμφυτον, ἤν τε δέρματι, ἤν τε σαρκὶ καλύπτεται, κοῖλον ἐςί· πληροῦται τε, ὑγιαῖνον μὲν, πνεύματος, ἀσθενῆσαν δὲ, ἰχῶρος. Et Lib. de Flatibus: τὸ δὲ πνεῦμα συνιςάμενον ἐς ὕδωρ ἔρχεται.

rum in ſolido, quod cavitatum latera format, vis cohaerentiae (139. et ſeq. 150.), quae uti reſiſtit elementorum ſeparationi, ita propiorem reddere contactum perpetuo nititur. Ineſt et in multis, vario gradu, vis elaſtica. Accedit inſuper vis vitalis (170. 175.), *et a neruoſa irritatione ſolidum viuum, cauitates, vaſa, oſtia formans in contractiones concitatum.* Nec deſunt, quibus et muſcularis potentia pro adjumento conceſſa eſt; ſi modo hanc a priore diverſam credere libet. His viribus internis cavorum parietes ſe tuentur adverſus contentorum impetus extrorſum, ſibique a nimia diſtenſione aut ruptione cavent. Ut adeo continentium et contentorum oppoſiti niſus antagonismum exerceant mutuum, quo cavorum diametri determinentur, majores minoresve futurae, ſi alteruter horum niſuum a juſta aequilibritate receſſerit. Inde contractionis lentae ac ſubitae origo ac diſcrepantia intelligitur. Quodſi vis cohaerentiae et elateris in parietibus ultra modum augeatur, non increſcente pariter materiae contentae mole, volumine, pondere, motu; aut verſa etiam vice haec minuantur, non pari gradu imminuto po-

potentiae contrahentis momento; pro huius ingenio paullatim et leniter in ſeſe coëunt parietes, fibrisque adductis cava ſua arctant; donec cum contentis ad aequilibrium deveniant, aut his expulſis, vel deficientibus, quam poſſunt, maximam contractionem aſſequantur. Vis autem vitalis et muſcularis, irritata, violentius agit, nec adeo in ſtatu aequilibrii cum contentis quieſcens, ad ſtimulum multiplicem (171.) ſubito in ſpasmos (195.) ruit, quibus ſtricti parietes aut diſtractionem non, ut decet, admittunt obrigeſcentes, aut cava ultra modum anguſtant, quin penitus occludunt. Innoteſcit hinc, quam variae cauſae utrumque id vitium inducant; et cum prior contractio ſequatur diſtenſionem imminutam, ex hac etiam nimium aucta, ut ſtimulo, poſteriorem oriri poſſe; nec tamen ambas tantopere inter ſe differre, ut non quandoque in eadem parte ſimul naſci queant, aut altera alteri ſupervenire. Ventriculus diuturna inedia cavum ſuum paullatim anguſtans; idemque, cum ultra modum ingeſtis diſtenditur, irritata vi ſua muſculari ſubito vehementerque ſeſe coarctans et vicinorum muſculorum adjumen-

mento, quidquid continet, impetuoſe ſurſum ejiciens, duplici exemplo dicta illuſtrat et confirmat.

7. Coalitus, Σύμφυσις, denique ponit abolitam cavitatem ob parietes, quibus formatur, intus conſolidatos. Quod affectionis genus aut poſt continui ſolutionem nata cicatrix callusve infert, aut compreſſio (4.), collapſus (5.), contractio (6), diuturna, fortior, ut ex contactu interno laterum perdurante concretio demum conſequatur. Quin et obſtipans tumor (3.) id efficere valet. Quandoque et obſtruens *et infarciens* materies (1. 2.), ſolideſcens, internae parietum ſuperficiei coaleſcit. Unde conſtat, omnes anguſtationum ſpecies, ad extremum deductas, tempore tandem in ſymphyſin abire poſſe: quo cum deventum eſt, fruſtra utplurimum tentatur ſanatio, niſi manus opera adhiberi poſſit.

210. Uti vero haud rarum eſt plures memoratarum ſpecierum (209.) una concurrere; ita ſaepiſſime huic vitio comitem aut pediſſequum ſeſe adjungere ſolet prius nimiae dilatationis (203.), idemque cavum parte anguſtius, parte amplius juſto eſſe, ob impeditum materiae affluentis tranſitum.

Bayerische Staatsbibliothek München

211. Facile hinc perſpiciuntur innumera mala, quae ex hoc fonte in oeconomiam humanam redundant; cum ad omne genus cavitatum maximarum aeque ac minimarum pertineat, et a legitima harum ad ſua contenta ratione pleraeque omnes quarumvis partium functiones plus minus pendeant. Complicatio autem frequens cum vitioſo exceſſu (210.) etiam noxas inde oriundas multiplicat, aggravat. Rigiditas ceterum, individua provectioris aetatis comes (166.), uti plerasque morborum anguſtiae ſpecies, alias ex aliis, in partes continentes non poteſt non invehere, ita ex iſtis potiſſimum jugiter increſcentibus, vitalis humorum circuitus retardatio, caloris nativi defectus, ipſiusque vitae languor et plena tandem extinctio in decrepitis neceſſario conſequuntur: quae mors naturalis eſt.

Morbi Solidorum inſtrumentarii.

212. CORPVS humanum in partibus ſuis firmis, quae ſenſuum ope cognoſcuntur, ſyſtema eſſe inſtrumentorum diverſiſſimorum, quae cum ſecundum natu-

naturam ſe habent, ſuo ſingula numero, magnitudine, conformatione, proportione, ſitu, nexu, continuitate, contiguitate, etc. determinatis gaudeant, docet Anatome. Phyſiologia autem demonſtrat, vi hujus fabricae ſuo unamquamque partem aptari operi, quod ſanitas poſtulat, peragendo, ideoque aliam atque aliam cuivis contigiſſe, prout diverſae functionis inſtrumentum eſſe debebat.

213. Ceteris ergo integris, ſola etiam iſtarum conditionum (212.) permutatio ac de naturali ſtatu deceſſio actionibus ſanis impedimento eſſe poteſt. Inde morbi inſtrumentarii, organici, naſcuntur perquam notabiles et numeroſi, adeoque ordine nunc pertractandi.

214. Monendum vero prius, non omnia, quae hic occurrunt, vitia, licet a naturae modo recedere videantur, functionibus ita obeſſe, ut morbis vere accenſeri mereantur (38.). Admirabilis iſta ſtructurae C. H. varietas, cum aptitudine tamen ſingularum partium, ad munia ſanitatis naturae legibus conveniententer obeunda, conjuncta, Divinum opificium declarans, quemadmodum in univerſa compagine obtinet, ita vel ſolis

etiam ex faciebus ſic ſatis intelligitur. Multa etiam, ſtrictiore ſenſu, potius ad claſſem ſymptomatum pertinent; quum ad horum ſimilitudinem ab aliis morbis pendeant (86.). Plurima denique ex ſolidorum et fluidorum affectionibus compoſita ſunt; uti et ipſae partes inſtrumentariae hanc mixturam conſtanter habent. Hunc tamen circulum evitare nec Phyſiologia, nec Pathologia, poteſt.

215. Ut partium ſimilarium (150.), ita et diſſimilarium primaria dos eſt cohaeſio. Hac nititur materiae firmitas, continuitas, hinc et aptitudo ad reliquas dotes mechanicas recipiendas, conſervandas. Vitiata igitur morbos infert, eosque diverſos, prout vel ad partis in ſe ſeorſum ſpectatae molem pertinent, vel ad ejusdem cum vicinis nexum.

216. Prioris generis ſunt continui ſolutiones, quo ſequentes ſpecies referuntur.

217. Fractura, quae ſolutio continui eſt in parte dura, oſſea, cartilaginea, a cauſis mechanicis facta. Haec lato ſenſu comprehendit fiſſuram, Ἕδϱην, praeciſionem, attritionem, etc. Producitur ab injuria, quam vis percutiens, pungens,

gens, ſecans, tundens, cohaeſione partium major, infert. Unde tanto levioribus cauſis naſcitur, quo oſſa ex ſenio, acri gelu, lue venerea, ſcorbuto, arthritide, rachitide, carie, aliove vitio, fragiliora ſunt (161. 4. 162. 165. 3.); ut ideo, absque vi externa, ſola muſculorum actio fracturas oſſium, quibus illi inſiguntur, quandoque efficiat. Mala, quae hinc ſequuntur, innumera facile eruuntur tum ex multiplici uſu, quem oſſa oeconomiae humanae praeſtare debent, nec poſſunt tamen, niſi integra; tum ex perturbatione, irritatione, diſtractione, preſſione, laceratione, quam fracta partibus vicinis neceſſario inferunt.

218. Vulnus, quod notat continui ſolutionem in parte ſolida, non dura, recentem, a vi mechanica ita factam, ut ſanguis aliusve ſuccus e vaſis ſauciatis prodeat. Potentiis ergo ſimilibus, ut fractura, oritur, proque harum, et, quas hae laedunt, partium, modique, quo laedunt, diverſitate plurimas habet differentias et varia nomina, caeſionis, exciſionis, puncturae, rupturae, fiſſurae, contuſionis, etc. Quidquid adeo ſanarum functionum ab integritate partium et ſuccis legitime intra ſua cava conten-

tis aut motis pendet, nato vulnere vitiari necesse est. Unde, quae hinc oriuntur, turbae numero et varietate infinitae perspiciuntur. Accedunt autem et salutares naturae motus, qui vulnus ad sanescendum disponunt.

219. Huius etiam loci sunt solutiones continui siccae, quarum hiantia labia epidermis, callus, cicatrix, ita obduxit, ut nec de extremis vasculorum humor elabatur, nec coalescere separata etiam sub mutuo contactu possint. Palpebra, labium, lingua, auricula, etc. fissa huc pertinent. Nec durae etiam partes ab hoc vitio immunes sunt, quod alias congenitum est, alias ex vulnere, ulcere, fractura, carie, etc. utcunque sanatis contrahitur.

220. Posterius genus (215.) vitia habet incongrui nexus, quae cum legitimam partium mobilitatem aut firmitatem pervertant, plerumque non impune feruntur. Peccant autem excessu, vel defectu.

221. Connexio excedens dicitur, cum, quae disiuncta esse oportet, coalescunt, aut quorum laxior requiritur cohaesio, justo strictior est. Symphyses ductuum, ostiorum, hiatuum naturalium

ralium (209. 6.) huc retuleris. Unde Ἄτρητοι ad podicem, genitalia, urethram, meatum auris, nares, etc. Digiti, labia, mufculi, tendines, vifcera, etc. fic inter fe, vel cum vicinis, coalita in fuis muniis impediuntur: quae affectiones aut ab ortu infunt, aut ex aliis malis (209. 6.) confequuntur.

222. In articulis praecipue notabile hoc vitium Ἀγκύλην, Ἀγκύλωσιν, veteres appellant, cum articuli ita obrigefcunt, ut eorum motus prohibeatur. Ponit adeo male affectas illas partes, quae ad articulum formandum tuendumque faciunt; et varia occafione nafcens laefis ex fractura, luxatione, vulnere, contufione, abfceffu, ulcere, tumore, dolore, articulis crebro fupervenit: fiquidem ligamenta quacunque de caufa interdum violantur, contrahuntur, rigefcunt, cum internis partibus coalefcunt: alias axungia deficiens ficcitatem, aut eadem abundantior five infpiffata, quandoque etiam alienus humor in cavum articuli effufus, tumorem infert, quo motus impeditur: alias extrema offium commifforum labe rachitica tumefiunt, aut callus fracti prope articulum offis, exoftofis, fungusve intus

luxuriat; aut ulcus vel caries ſerpens partium firmitatem, cohaeſionem, laevorem, figuram, pervertit, etc. Raro autem quaedam iſtarum affectionum diu inhaeret, quin et aliam atque aliam ſibi comitem adſciſcat: unde malum inſanabilius evadit.

223. Huius etiam generis ſunt Ἀγκυλόγλωσσον et Ἀγκυλοβλέφαρον. Quorum illud linguae adſtrictionem notat, qua eius motus ad ſuctum, deglutitionem, loquelam, neceſſarii impediuntur, ob frenulum a nativitate durius magisque contractum, latiusve in apicem linguae productum, aut ob cicatricem ex vulnere vel ulcere ſanato ſub lingua relictam: Hoc ſimilem in palpebris affectionem, qua inter ſe, et quandoque etiam cum albo oculi, vel cum cornea, ita cohaerent ac coaleſcunt, ut, quum diduci nequeant, viſui obſint. Oritur ex interpoſita materie glutinante, aut ex cicatrice minus caute inducta.

224. Nexus deficit (220.), ſicubi, quas cohaereſcere decet, partes disjunctae ſunt, aut laxius inter ſe nectuntur; quae arctius debebant. Quo pertinent cartilaginum, epiphyſium ab oſſibus ſeceſſiones; vitia, quae medium quid inter

ter fracta et luxata habent; dentium vacillatio, articulorum ob ligamenta flaccidiora infirmitas, linguae cohaeſio juſto laxior, hinc nimia mobilitas, quandoque valde periculoſa (142.). etc.

225. Eſt etiam plerarumque partium certa quaedam inter ſe collocatio, naturae maxime conſentanea: quae ſola cum pervertitur, functiones utplurimum integrae eſſe non poſſunt; etiamſi cetera ſe recte habeant. Unde nova iterum morborum claſſis exſurgit, qui quidem, ut ſaepius cum vitiis cohaeſionis (215.) et nexus (220.) complicentur, ab his tamen diſtincti ſeorſum conſiderari merentur pro ſpecierum, in quas abeunt, diverſitate. Referantur huc Luxatio, Hernia, Prolapſus, Aberratio.

226. Luxatio lato ſenſu mihi dicitur, cum oſſa, qua inter ſe commiſſa ſunt, de ſede ſua naturali decedunt. Committuntur autem vel per articulum, cum manifeſta obſcurave mobilitate, vel per coitum, quo diverſum motum non habent, ſed, quaſi unum atque idem ſint, inter ſe junguntur. Hic modus σύμφυσις, ille τὸ ἄρθρον, veteribus audit: utriusque autem porro permultas dari diffe-

rentias Anatome docet. Pro ea igitur diverſitate luxatio etiam in duas ſpecies diſtinguitur.

227. Ἐξάρθρημα, quaſi dearticulatio, luxatio proprie dicta, eſt articuli (226.) de ſede ſua in locum alienum deceſſio, qua motus pervertitur. Levior huius vitii gradus ſubluxatio eſt, παράρθρημα, cum os pro parte modo, nec plane extra crepidinem ſui acetabuli, elapſum eſt: quo etiam diſtorſio referatur; ſiquidem et oſſium inter ſeſe mobilium ſitum turbat. Infert haec mala vis externa varia expellens, intorquens, diſtrahens, major robore naturali articuli. Alias et intra cavitatem nata muci, ſeri, puris, aliusve ſucci congeſtio, aut partium exſuperantia, os pedetentim e ſede ſua protrudit. Favet his potentiis, quidquid conditiones, quae articulis pro munimento ſunt, infirmat. Unde ligamentorum, muſculorum, tendinum, imbecillitas aut ſoluta continuitas; proceſſuum, qui prope adſtant, oſſium ipſorum, qua contra ſeſe ſita ſunt, cartilaginum interpoſitarum, molliumque partium, quae intus ſunt, varia vitia, tumores, deformitates, relaxationes, ulcera, caries, fracturae, contuſiones, etc.

etc. eo diſponunt; ut etiam ſola ſuorum muſculorum actione quandoque articulus ſolvatur, pari quidem facilitate, nec ſolide tamen et conſtanter reſtituendus. Docent geſticularii. Hinc multiplex luxationis cum aliis morbis complicatio.

228. Quum vero in σύνταξι oſſium tanta detur varietas, et nullus articulus tam ſimilis alteri ſit, ut non aliquid diverſi habeat; nec aequale omnibus robur natura conceſſerit, aliorumque in alias atque alias partes facilior aut difficilior ſit luxatio; oportet eum, qui de his vitiis recte judicare velit, non ſolum ex ſceleto ſicco ſingulorum oſſium poſitus ac figuras noſſe, ſed etiam comperta habere, quaecunque aut communia ſunt omnibus articulis, aut propria ſingulis, ligamenta, cartilagines, glandulas, muſculos, tendines, apophyſes, epiphyſes tum cartilaginoſas, tum oſſeas, harumque in varia aetate mutationes, nec non vaſa, nervos, viſcera, quae adjacent. Nec aliter intelligi poſſunt mala innumera, quae ex luxatis conſequuntur.

229. Altera ſitus oſſium perverſi ſpecies eſt, ſi, quae ſine articulo per coitum juncta ſunt, inter ſe dehiſcunt (226).

Haec

Haec ſingulare nomen Latinum non obtinuit, et parte ad nexus vitia (224.) etiam referri poteſt, in iis certe oſſibus, quae media quaedam materia inter ſe connectit: prout in ſymphyſi (226.), quam remotam vocant, obtinet. Ceterum ex ſupradictis (227. 228.) intelligitur.

230. Hernia (225.), Ramex, adeſſe dicitur, cum functio ſana laeditur, quia pars mollis, interna, ex ſede ſua naturali egreſſa, intra cavum alius partis morboſe recepta eſt. Hoc nomen genericum, ut ſatis multas ſub ſe ſpecies habeat, abuſive tamen transfertur inſuper ad varios tumores, quos hernias ſpurias vocant, eo quod iisdem locis, quibus hernia vera familiaris eſt, eveniant; quanquam origine et natura ſunt diſſimillimi, nulloque proinde jure huc referri poſſunt.

231. Partium, quae abdomine continentur, herniae prae aliis et frequentiores ſunt et praecipue memorabiles. Iis opportunitatem dat parietum, qui abdomen circumdant, pro magna parte mollitudo; peritonaei, quod intus ſuccingit, natura tenax quidem, at maximam diſtenſionem admittens; viſcerum, quae

iſto

iſto ſacco continentur, moles ingens, laxitas, mobilitas, multumque perpetuo varians ob diverſam contentorum quantitatem dimenſio, nec certa ſemper in omni ſuo ambitu ſedes; eorumdem hinc, vi reſpirationis aliorumque corporis motuum et variantium ſimul poſiturarum, agitatio, preſſio, impulſio major, minor, perpetua, nec tamen ſemper ab omni parte aequabilis, adeoque et continuus fere niſus ad erumpendum de coërcente ſuo ſacco, ſi qua detur rima, aut ad eumdem aliqua dilatandum. Huic ut reſiſtere peritonaei membrana poſſet, oſſibus, muſculis, tendinibus, aponeuroſibus, ligamentis, integumentis, etc. foris impoſitis fulcitur, introrſum urgetur. Ita nato inter oppoſitas potentias aequilibrio nec de anguſtiis ſuis prorumpere interanea poſſunt, nec nimis cedere rumpive peritonaeum. At ſi qua parte iſtud externa ſua vi et fultura deſtituitur; aut contentorum impetus, inaequaliter directus, aliquam ejus ſedem, quae minus reniti queat, vehementer extrorſum trudit; cedens ibidem peritonaeum aut in appendicem cavam dilatatur, aut, quod rariſſimum, rumpitur: utroque autem modo, quae intus

intus vicinae ſunt, partes mobiles de ſuo cavo emigrare ſinit et extra abdominis peripheriam ſubter communia integumenta ſeſe effundere, creſcente indies tumore, ſi eaedem cauſae perduraverint. Haec generalis eſt idea herniarum, quae ad abdomen oriuntur.

Ut vero multiplices earum differentiae, ſedes cauſaeque plenius intelligantur, illud praeprimis tenendum eſt, ſaccum peritonaei, qua caveam abdominis veſtit, non undiquaque a partibus foris adjacentibus aeque valenter ſuffulciri; neque adeo ubivis eumdem roboris gradum ad coërcenda interanea a natura nactum eſſe. Unde conſequitur, ut illis praecipue ſedibus, quarum munimenta externa ceteris imbecilliora ſunt, naturalis detur ad hernias proclivitas, major minorve pro ratione infirmitatis. Manifeſtum utique eſt, ubi muſculi, oſſibus fulti, extrinſecus adnaſcuntur, maximum ibidem ad reſiſtendum robur conferri; minus, cum, absque oſſibus, muſculi et aponeuroſes indumentum addunt; longeque minus, ſi aut ſola caro, aut ſine hac, aponeuroſes modo, tendines, vel ligamenta, minimum denique, qua parte etiam iſta deficiunt, ac prope nuda

nuda ſub integumentis communibus membrana peritonaei apparet: quo potiſſimum pertinent illae regiones, unde, quos vocant, proceſſus peritonaei prodeunt. Nimirum canales ſanguiferi, trunci nervei etc. qua per abdomen feruntur, ut porro aliis partibus, extra illius cavitatem ſitis, proſpiciant, cum juxta extimam ſacci peritonaei ſuperficiem procurrunt, celluloſo eius textu comprehenſi et velut in funiculos colligati, ſuis tandem locis ab illo extrorſum devergunt: quo fit, ut ſedes peritonaei, unde diſceſſio facta, non modo plurimum ſuae fulturae externae amittat; ſed etiam ſpatium conſequatur, data occaſione, ad ductum funiculorum digreſſorum foras evagandi. In iſtis igitur locis liquet peritonaeum natura quam debiliſſimum eſſe, ſeminiumque ideo dari hernioſum, naturale (75. 608.), non alibi valentius; praeſertim ubi devergentes funiculi craſſiores ſunt: quales ad umbilicum, inguen et femur habentur, vulgatiſſimis hinc herniarum ſpeciebus, mox exponendis, famoſi.

232. Umbilicus, poſt partum praeciſus, cicatrice occluſus, ſi minus firmo conſtat circulo tendineo, quo olim funicu-

niculum vaſorum umbilicalium transmiſerat, ea ſedes peritonaei, quae ſubeſt, in centro motus abdominis conſtituta, nec ſatis a foris ſuffulta, ab adjacente tum epiploo, tum inteſtino, propulſa ſe remittit, diducitur, cutim et ipſum umbilicum attollit ſaccumque format, in quem vicinae intus partes morboſe recipiuntur. Ita tumor naſcitur, quem communi nomine ἐξόμφαλον, vel ἐξόμφαλον πάθος, vel ὀμφαλοκήλην, herniam umbilicalem, vocant; vitium infantibus foeminisque ex graviditate ac partu difficili frequentius, aliquando connatum, haereditarium, et vel in parvulis embryonibus iam viſum.

233. In utroque inguine, qua ſede funiculus vaſorum, contextu celluloſo comprehenſus, ſub peritonaeo emergens, per annulum, rectius arcum tendineum muſculorum abdominis obliquorum, externi et interni, ſuper os pectinis deſcendit, inque viris ad teſtes, in foeminis ad pudendorum oras, nomine incongruo ligamenti uteri rotundi, defertur, ibidem membrana peritonaei nudior, minusque extrinſecus firmata, frequentiſſime herniam patitur. Quodſi enim foramen illud arcuatum qua-

quacunque de cauſa diducitur, preſſum a contentis atque diſtractum peritonaeum per id deſcendit, ſecumque una abducit illapſas partes propinquas, omentum, inteſtinum, etc. naſcente ad inguen tumore, qui hernia inguinalis, βϐβωνοκήλη, dicitur, quamdiu in hac ſede conſiſtit. Si vero ocyus, ſerius, ad inferiora etiam ſe protendit, in viris quidem diducto ſcroto hernia ſcrotalis, ὀσχεοκήλη, vocatur, in foeminis autem ad labia naturalium devolutus peculiare nomen nondum obtinuit. Haec tamen etiam in utroque ſexu quibusdam hernia inguinalis completa, illa incompleta, audit. Infantibus, praeſertim maſculis, quandoque connaſci, nullaque, vel leviore cauſa evidente etiam ab ortu perſaepe accidere hoc vitium, obſervatio docet: quod qua ratione eveniat, ex partium conformatione ac evolutione, quae ea aetate obtinet, intelligitur. Eſt itaque in iſta abdominis ſede duplex ad hernias ſeminium naturale, alterum commune (231), alterum aetati tenerae ſexuique maſculino magis proprium, quod funiculo vaſorum ſpermaticorum, una cum ſuo teſte, ocyus, ſerius, ex abdomine juxta utrumque inguen

in ſcroti cavum deſcendenti tribuendum *).

234. Praeterea ad externum inguinis latus, qua proxime ſubeſt femoris cum coxa articulus, ſimile vitium quandoque oritur, cui nomen herniae cruralis, femoralis, inguinalis externae, μηϱοκήλης, a recentioribus impoſitum. Ea nimirum ſede vaſa cruralia, materie celluloſa involuta, ex abdomine, per ſinum oſſis ilium, ſub aponeuroſi muſculi obliqui externi et interni craſſeſcente, inque ſpeciem ligamenti, quod a FALLOPIO vel POUPARTIO denominatur, indurata, educuntur et ad femora ac pedes deſcendunt. Id ligamentum itaque ſi qua de cauſa diſtrahitur vel laxatur, peritonaeum hoc loco debilius cedit, extenditur, inque appendicem producitur cavam, quae omentum ac inteſtinum recipit, cumque his ſecundum ſupra dicta vaſa, in anteriore femoris regione, paulatim deſcendens, integumenta communia in tumorem elevat. Sexus

*) De qua re legi merentur, quae Vir Cl. P. CAMPER, Act. Societ. Holl. Harlem. T. VI. et VII. inſeruit.

xus ſequior hoc malum frequentius, quam viri, experitur: cujus rei ratio ex corporis habitudine, proportione et muniis, foeminae propriis, crebra praeſertim uteri geſtatione, repetenda.

235. Iſtis quidem locis (232. ad 234.), cum venter ita a natura comparatus ſit, ut minus ad reſiſtendum robur habeat (231.), non mirum eſt, ſaepiſſime hernias incidere; ſicubi vehementior corporis nixus, ſpiritu cohibito, caſus ab alto, praeceps ſaltus, ictus abdomini illatus, valida ſuccuſſio etc. ventre ſimul cibo, potu, foetu, aëre, aqua, admodum diſtento, aut ſuperne per faſcias, thoraces, veſtesve arctiores valde compreſſo, aut feminibus multum diductis, occaſionem dederit. Magis tamen his vitiis in univerſum obnoxii ſunt homines aetate, temperie, vivendi modo, morbove debiles, flaccidi, humidi, obeſi: unde immodicus quotidie lactis, olei, butyri, pinguium, aquae calidae, uſus eo diſponit.

236. Rariores ſunt, nec tamen praetermittendae, quas nomine communi Ventralium hodie comprehendere libitum eſt, herniae, modis locisque multum diverſis naſcentes. Aliae quippe,

priorum (232. ad 234.) ſimilitudine, eiusmodi ſedibus fiunt, ubi ſaccus peritonaei, propter munimenti externi tenuitatem defectumve, nudior, debilior (231.), naturaliter ad concipiendas hernias, ſi qua acceſſerit nocens potentia (235.), diſpoſitus eſt. Aliae, ex ſeminio, quod praeter naturam eſt (75. 617.) oriundae, ad quascunque ventris regiones, etiam a natura munitiſſimas, indiſcriminatim pertinent. Quodſi enim illarum partium, quae peritonaeum a foris ſuffulciunt, aliqua (ſeu muſculus, tendo, aponeuroſis fuerit, ſeu os, ligamentum, tegumenta, viſcusve internum illo obductum etc.) quocunque vitio ultra modum relaxatur, diducitur, ſauciatur, loco ſuo movetur, deſtruitur, aut deficit; conſequens eſt, ut paries ibidem ſuſtentaculo ſuo orbatus, infirmior, non ſat reſiſtere interaneis poſſit cedendoque aut crepando hernioſus fiat. Quin et ipſa peritonaei membrana, quomodocunque continui ſolutionem aliqua parte paſſa, munimentis ſuis in totum aut ex parte integris, ſaltem non extrorſum hiantibus, prohibere nequit, quo minus ea, quae intus ſunt, e ſede ſua emigrent. Patet igitur iſtud herniarum genus per

uni-

universſum ventris ambitum poſſe acci-
dere, ſi qua hujus regio, ex vulnere, contuſione, abſceſſu, ſinu, luxatione, fractura, carie, prolapſu, recente cicatrice minus confirmata, diſtractione etc. multum debilitata, juſto majore interaneorum preſſione (235.) extrorſum urgetur.

237. Ad hunc igitur titulum (236.) referre licet ab obſervatoribus memoratas hernias, epigaſtricas, hypochondriacas, tum in ambitu umbilici ex ſe integri, ſupra, infra, aut a latere ejus obortas, hypogaſtricas, iliacas, lumbales, dorſuales, ovalares ad foramen magnum oſſis coxarum, et quae ad perinaeum, et intra vaginam muliebrem, uterumve cum inverſione prolapſum obſervatae; nec non pectorales, cum ob diaphragma vitio congenito, vel vi illata mutilum, pervium, aut carnea parte ſua in ſacci ſpeciem ſurſum extenſum, aut meatibus ſuis, per quos oeſophagum, vaſa, nervum intercoſtalem transmittit, vehementer dilatatum, protruſis in caveam thoracis viſceribus abdominis, vitalia opprimuntur: quin et quae in tota ventris mollis regione anteriore, in ſaccum enormem, ad genua uſque pen-

pendulum, dilatata, aliquando viſae, plerumque neglectae umbilicales herniae (232); tum laterales, ex utero gravido, tempore geſtationis continue in alterutrum ventris latus nimis obliquato, poſt partum natae, et ſi quas alias forſan inpoſterum praxis detexerit. Sunt autem illarum aliae externae, quae viſu tactuque ſe produnt; internae aliae, nullo tumore extrinſecus manifeſtae, utplurimum a morte demum detegendae.

238. Uti autem ſede differunt abdominales herniae, ita non minus partibus elapſis: vix enim inter viſcera, abdominis cavo comprehenſa, ullum eſt, quod non aliquando emigraſſe viſum. Unde pleraeque alias etiam atque alias denominationes obtinuere. Frequentiſſime quidem omentum, aut inteſtinum, aut utrumque includere ſolent, dicunturque ἐπιπλοοκήλη, ἐντεροκήλη, ἐντεροεπιπλοοκήλη. Nonnunquam et ventriculus ſubeſt in epigaſtricis praecipue, pectoralibus, umbilicalibus: quam γαστροκήλην vocare licet. De hepate, ſplene, pancreate et renibus idem memoratur. Alias veſicae urinariae pars in viris ad inguen, et vel ad ſcrotum uſque protruditur; in foeminis etiam quandoque ob

gra-

graviditatem preſſa deſcendit, vulvamque inter et anum lotio turgens prominet: haec κυςοκήλη; cujus ſpecies etiam utero aut vaginae prolapſis ſeſe adjungere ſolet. Et vel uterus ab hoc vitio non immunis et in hypogaſtrico et in inguinali ramice ſeſe gravidum aliquando exhibuit: quae ὑςεροκήλη. Quin et ovariis tubisque Fallopianis id ipſum accidiſſe obſervatum. Denique nec rarum eſt plura ſimul viſcera eadem hernia contineri, et ſicubi et ſine curatione veteraſcit, aliis ſuper alia coacervatis ſaccum tam enormiter expandi, ut abdomine inanito alterum veluti abdomen referat.

239. Scire etiam expedit, inteſtinum quandoque non toto ſui cavi ambitu, ſed parietis ſui aliqua tantum ſede in proceſſum diducta, intra ſaccum herniae recipi, complicato dilatationis (203. 1.) et ſitus perverſi vitio. Quod ipſum et veſicae urinariae, et forte matrici quoque accidere poteſt, labe congenita, aut poſt inducta.

240. Impedimenta functionum, quae ex his vitiis (232. ad 240.) profluunt, innumera ſunt et pro diverſitate dimotarum partium valde diverſa; tum vero

praesertim periculi plenissima, cum strictius sacci hernialis ostium et reversionem partis intus susceptae prohibet, et huic strangulatae morbum angustiae (209. 3.) inducit, quo tum meatus occludatur, tum motus humorum per vascula supprimatur: unde, praeter alia gravissima mala, inflammatio nascitur, quae plerumque brevi in gangraenam transit certo fere lethalem.

241. Prostant et exempla Ἐγκεφαλοκήλης in recens natis infantibus, parte quadam encephali per hiatum calvae extrorsum protrusa, atque integumenta in tumorem attollente, qui caute distinguendus, ne pro alio morbi genere habitus perverse curetur. Cranii ossium mollitudo nimia, inaequabilis, aut defectus; hydrocephalus; pressio capitis intra uterum et in partu protractiore violenta, inaequalis, forsan in causa esse possunt.

Utrum vero spina bifida recte dicitur hernia involucri medullae spinalis, ibi dilatati, ubi medulla in caudam equinam abit*)? Speciosior, quam probabilior

*) Vid. DE SAUVAGES Nosolog. Method. T. II. p. I. pag. 71.

bilior opinio tum origini, tum phaenomenis mali repugnat: reputanti autem encephali productaeque inde medullae naturam, oeconomiam modumque, quo illa, ſuis inveſtita involucris, in calva thecaque vertebrarum habitant, obſcurum eſſe nequit, longe difficilius hic loci herniam naſci poſſe, quam facilius in ſacco peritonaei. Quare nec de ipſa Ἐγκεφαλοκήλη nulla dubitatio ſupereſt *).

242. Γλωσσοκήλη, linguae hernia, dici poteſt, quando lingua juſto mobilior, in fauces revoluta, nixu deglutitionis intra oſtium pharyngis impacta haeret in cavitate non ſua, hancque et proximam ſpiritus viam quandoque obturat non ſine praeſenti vitae diſcrimine. Linguae, ob frenulum natura brevius, aut ultra modum et praeter neceſſitatem ſectum, nimia mobilitas (224.) in recens natis, ſugendi cupidis, hoc malum infert **). Memorantur et oculi vitia,

*) Vid. SWAGERMAN *Verhand. van het Waterhoofd* etc. §. 256, 257.

**) Vid. D. PETIT, qui primus vitium hoc, in Gallia ſat frequens, accurate deſcripſit Act. Acad. Pariſ. a. 1742.

vitia, nomine Ὀφθαλμοκήλης huc referenda. Uvea cum intra ſinum corneae relaxatae ſeſe immittit, ſtaphylomatis ea ſpecies ad hernias pertinet: uti et lentis cryſtallinae, per pupillam in anteriorem oculi caveam propulſae, pone corneam decubitus, in utroque oculo obſervatus.

243. Muſculi denique et horum inprimis tendines, ſi de ſuis ſedibus exſiliunt, ob laxata aut rupta, quibus continentur, vincula, armillas ac faſcias, inſequente utplurimum violento ſpaſmo, ſitus vitium patiuntur, quod huius etiam loci eſt. An et teſticulus, e ſcroti ſacco ſurſum retruſus, aliena ſede inguinis impactus, quod Parorchidium hodie vocant?

244. Aliud herniae genus eſt, quando pars in ſemet ipſam revolvitur, ac ſuum intra cavum recepta haeret, ideoque in opere ſuo turbatur. Quod malum volvulus aut intusſuſceptio dicitur, nec niſi in inteſtinis locum habet, quum aliqua pars iſtius tubi contractior in vicinam ampliorem compulſa irrumpit huiusque cavo concluſa retinetur.

245. Laxa mobilitas inteſtinorum, magna ſenſilitas, facilis et dilatatio a

con-

contentis, et viciſſim a ſpasmis contractio, faciunt hoc vitium crebro naſci, ſi quae violenta commotio, vomitus, irritatio ab acribus, inflammatis, lumbricis, etc. acceſſerit. Nec tenuia tantum, ſed craſſa etiam ei obnoxia.

246. Suſceptio autem vel ſurſum vel deorſum fit, eademque ad variam profunditatem varioque numero. Alias plenaria vel perfecta eſt, cum univerſus fiſtulae ambitus, una cum ſuo meſenterio, ſubintrat: alias imperfecta ac levior, quando pars peripheriae modo, praeſertim a ſede meſenterii remotior, implicatur. Liquet autem pro his differentiis plus minusve periculi ſubeſſe.

247. Pertinax malum, producta obſtructione (209. 1.) tubi inteſtinalis, omnem primarum viarum functionem turbare, natoque ileo celerem inducere mortem poteſt. Saepiuscule tamen etiam innocue fertur, ſi ſpasmus, inflammatio, impedimentum materiae trajiciendae, abeſt.

248. Procidentia, πρόπτωσις, (225.), ab hernia differt eo, quod ponat partem mollem, quae ſecundum naturam intus recondita eſt, e ſede ſua ita dimotam, ut per hiatum aliquem, vel naturalem,

ralem, vel vitio natum, nuda foras effundatur Unde ſimul patet, non omnes vulgo dictos prolapſus hujus loci eſſe.

249. Proprie huc referatur Ani procidentia, cum poſtrema tubi inteſtinalis pars, cui recto nomen, relaxata per podicem deſcendit atque inverſa excidit, burſulae aut farciminis in modum foras propendens, *aut cum interior inteſtini recti tunica, remiſſo cum caeteris nexu, tumefacta et humoribus variae indolis infarcta elabitur.* Ex quibus, praeter alias noxas, etiam dolor, inflammatio, gangraena, conſequuntur, maxime ſi, quod elapſum eſt, ſphinctere ani valentius contracto ſtringitur. Producunt hoc vitium, quaecunque aut inteſtinum ipſum, aut nexum ejus cum vicinis et ſtabilem poſitum infirmant, diarrhoea diuturna, dyſenteria, teneſmus, creber acriorum purgantium uſus, fex dura, ſicca, aegrius nec niſi validis conatibus extrudenda, haemorrhoides, aſcarides, ulcera, fiſtulae, vulnera levatorum ani, ſphincteris, etc. His quidem omnibus debilitatum inteſtinum leviores etiam nixus ferre non poteſt, quin remiſſo ſphinctere elabatur.

250. Uteri procidentia, ubi ſimile priori (249.) vitium in foeminis patitur ute-

uterus, qui per vaginam devolutus foras protuberat, isque vel inversus, vel non inversus.

251. Inversi uteri prolapsus dicitur, cum ejusdem fundus inversus intra apertum os internum sese demittit, ac per vaginam descendens, forma plerumque globosa, ex partibus naturalibus propendet. Cujus mali varii sunt gradus ad summum usque, ubi totus uterus elapsus tumorem facit, qui etiam vesicam illi adhaerentem intus comprehendit. Puerperio saepissime supervenire subito haec affectio solet, cum aperto etiamnum post partum ore interno, uteroque nondum condensato, rudiore manu valentius protrahuntur secundae: rarissime, si unquam, ex doloribus partum insequentibus. Alias tamen et virginibus mulieribusque nunquam puerperis, paullatim et tardiore progressu, accidit marcescente ob aetatem provectam utero, multaque pinguitudine, aliave materie intra ventrem accumulata deorsum truso. Multiplex autem, quae ex hoc vitio nascitur, functionum laesio facile patet. Si pars prolapsa contrahente se ore interno uteri premitur, inflammatio, gangraena, mors inopina saepe instat.

252.

252. Quodſi vero ſic dicta ligamenta, quae uterum in ſua ſede continent, hujusque et vaginae contextus, ac ceterae partes vicinae, relaxantur; uterus totus, praeëunte ore interno, deſcendit, et ex pudendis prolabitur, tumorem extrinſecus creans, qui os internum prodit. Hic uteri non inverſi prolapſus (250.) major, minor, et virginibus et maritatis infeſtus, quandoque congenitus, tumque falſo nonnunquam ad ambigui ſexus conformationem relatus *). Naſcitur omni cauſa, qua aut univerſum corpus, aut ſpeciatim partes genitales, praeter modum flacceſcunt. Unde calidae abuſum, fluores albos diuturnos, partum laborioſum, neglectum a partu decubitum, etc. conſequi ſolet. Uterus quoque in modum ſcirrhi induratus, tumefactus, valde ponderoſus, vi vaginae illata, ſibi viam ad deſcenſum parat.

253. Vaginam praeſertim prolabi frequentiſſimum eſt, et modo quidem duplici. Vel enim ora circum circa relaxata, in modum botuli, varia longitudine, ex

*) Mr. SAVIARD N. Recueil d'Obſervat. Chirurg. obſ. XV. pag. 70.

ex pudendis dependet: vel pars tantum aliqua tunicae ejus resoluta descendit, quae non mature reducta, aëre, attritu, pressione, irritata, nonnunquam in vastum tuber, sarcomati simile, augetur, incautisque specie prolapsi uteri imponit. Iisdem ceterum causis (252.), nec non rudiore cunni tractatione, coitu petulantiore etc. oritur hoc vitium, multisque incommodis molestum est.

Facile autem perspicitur, memoratas (250. ad 253.) procidentias multimodis inter sese complicari posse, aliamque ex alia consequi, nisi principiis obstetur.

254. Oculus πρόπτωσιν, aliis ἐκπιεσμὸν, ἐξοφθάλμιαν pati dicitur, cum inflammatione, hydrophthalmia, aliave causa distentus, aut nato intra orbitam tumore pressus, e sede sua prorsum vel ad latus propellitur, ut palpebris contineri nequeat. Cadit et palpebra superior, nec attolli potest, musculo, quo elevatur, resoluto, dissecto; vulnere frontis transverso male curato; tumore quovis eam gravante, relaxante, expandente: quae βλεφαρόπτωσις. Lingua similem in modum ore extruditur, mole ultra modum aucta, aut spasmo rigefacta. Visum et interiorem vesicae urinariae tunicam, ex-

exſolutam, per meatum urinarium protruſam, forma botuli aut ſacculi, foras prorupiſſe: haec Exocyſtis *).

255. Multae praeterea internae partes, uti encephalon, pulmo, omentum, inteſtina, ſplen, etc. per vulnera et ulcera in cavitates penetrantia foras prodire poſſunt. Quo pertinet uveae oculi prolapſus, cum haec tunicula per corneae ruptae, inciſae, eroſae, aperturam protruſa tuberculum excitat, ϛαφύλωμα, μυοκέφαλον, μῆλον, ἧλος, pro varia ſimilitudine dictum.

256. Aberrationum (225.) denique multiplex genus ſupereſt, quae partibus mollibus eum in modum accidunt, ut nec herniis, nec procidentiis, annumerari poſſint, haud minus tamen memorabiles; quia ſanitatis functiones ſaepe magnopere pervertunt. Viſcerum ſitus alienati, inteſtinorum contorſiones et nodi, teſtium intra abdomen aut ad inguina retentio, *uterus retroflexus*, oris uterini obliquitas, etc. hujus loci ſunt. An et incongrua foetus ſub partu collocatio? An conceptus extrauterini?

257.

*) De SAUVAGES l. c. pag. 104.

257. Fatendum nihilominus, haud raro occurrere id genus errores, qui, ut enormes videantur, oeconomiam tamen nequaquam turbent, nec adeo inter morbos referri mereantur (38. 214.). Strenuum novi virum ſcroto vacuo, teſtibus in utroque inguine defixis, plurium liberorum patrem: et miles emeritus aetatem LXXII. annorum attigit, cujus cadaver omnes partes thorace et abdomine contentas, ſuis locis ita emotas exhibuit, ut, quae ſecundum communem naturae ordinem latus dextrum occupant, in ſiniſtro eſſent collocatae, et viciſſim *).

258. Porro numerus partium vitioſe excedere aut deficere poteſt. Exuperantia raro morbus eſt, cum functiones non admodum laedat: ut ſextus digitus, tertius teſticulus, etc. Rerum vero, quae praeter naturam ſunt, uti verrucae, polypi, calculi etc. ratio hoc loco haberi non poteſt. Defectus tamen plerumque impedimento eſt, hinc morbis accenſendus, ſi in unica cadit inſtrumenta,

*) Du HAMEL Reg. Scient. Academ. Hiſtoria pag. 272.

ta, aut et in illa, quorum gemina quidem vel plura corpus habet, ſed quae, ſi quod conſortium deeſt, hujus vicem reddere nequeunt. Levioris autem et maligni ingenii eſt ex eo, quod partibus quibusdam haud aegre caremus, inferre, praeter omnem utilitatem nobis a natura datas eſſe.

259. Conformatio uti primario ad uſum, deinde et ad pulchritudinem comparata eſt, ita cum deflectit a naturae ordine, alias turbatis functionibus morbos parit, alias deformitates tantum innoxias, quae raro Medicum occupant. Haec igitur vitia qui dijudicare volet, cogitet, dimenſionis limites non in omnibus et ſingulis partibus adeo ſtrictos eſſe, quin multiplex varietas ſanitate illibata feratur (214.); neque idem cuivis homini vel nationi pulchrum aut deforme videri.

260. Magnitudo etiam ſuos exceſſus ac defectus patitur, aut morbis, *aut ſeminiis*, aut turpitudinibus annumerandos, qui tamen magis in ſingulis partibus, quam in univerſo corpore ſpectari debent. Sanitas ingentem ſtaturae humanae diverſitatem admittit, pumilioni apte

apte conformato haud minus propitia, quam vaſto giganti. Quocirca ſimplex magnitudinis auctae vel imminutae morbus, qui ad totum corpus, ceterum ſanum, aequaliter pertineat, non datur. Nec, quae ex varia aetate ſolummodo profluit, quantitatis differentia in toto corpore hujusve partibus; etſi functionum imperfectionem creat, morboſa dici poteſt; quum naturae legibus conſentanea ſanitatis latitudine contineatur. *Attamen aucta corporis magnitudo et praeter aetatem proceritas ſeminium morborum feraciſſimum praebet. Pueros aucta inſolito modo corporis mole in morbos proniores eſſe, fida exempla docent.*

261. Simplex igitur auctae quantitatis vitium eſt Enormitas, cum pars immodico nutrimenti ſuae naturae appropriati appoſitu ultra, quam par eſt, augeſcit, conformatione, contextu atque materie ſanis. Naſus, lingua, auriculae, artus, ubera, teſtes etc. ſic quandoque excreſcunt. Puellae Leidenſis, quam ſaepius coram vidi, lingua cavo oris amplior, extra labia ad mentum uſque propendens, hinc intra thecam argenteam geſta, praeter magnitudinem, quovis alio vitio caruit, muniis tamen ſuis ſic

 ſatis

ſatis idonea*). Cadit etiam in viſcera hic exceſſus, nec ſemper innocuus eſt**).

Debetur itaque exceſſui nutritionis, quem affluxus humorum ad partem juſto major, trajectus difficilior, vaſculorum inertia, hinc nutrimenti accumulatio, aut et detritio ob motus defectum ſolito minor, producit. Eo etiam, praeter alia multa, nutritionis in aliis partibus impedimenta conferre queunt. Conſtat mutuam parentum et prolium ſimilitudinem ad magnitudinem aeque ac ad formam ſeſe extendere. Quare credibile eſt, dari ſeminalem veluti diſpoſitionem cuivis homini ab ipſo ortu inſitam, quae tam univerſi corporis, quam ſingularum partium incrementum limitat,

*) Vid. C. TRIOEN Obſerv. Medico-Chirurg. faſcic. pag. 142.

**) Hepar enormi incremento, ceterum vitii ſenſibilis expers, non modo ventris viſcera gravaſſe, ſed dextram quoque thoracis cameram occupando, oppreſſis vitalibus, praematuram viro juveni intuliſſe mortem dolens memini. Similia vid. L. B. VAN SWIETEN comment. in Aphor. H. BOERHAAVE T. V. pag. 595. An huc referendi veterum Μεγαλόσπλαγχνοι? Vid. FOESII oecon. Hipp. hac voce.

tat; nisi ab adventitiis potentiis, quarum permultae incidere possunt, conturbetur. Inde apparens partium enormitas aliquando nascitur, quae tamen reapse non inest: sicubi nimirum in corpore ad proceritatem disposito aequabile ac legitimum partis alicujus incrementum quocunque vitio impeditur, ceteris partibus sanis pro sua natura tamen ita grandescentibus, ut cum illa comparatae modum excedere videantur. Sic in gibberosis caput, vultum, artus superiores et inferiores dicas enormitate laborare, si cum trunco corporis conferas: at vero hujus defectus in culpa est, nequaquam illorum excessus.

262. Tumorum natura magis composita est longeque major a statu sano deflexio. Sive enim topicos spectes in partibus singularibus, seu magis extensos, quas hodie intumescentias vocant; utriusque generis excedens volumen ponit fere alienum quid, sive fluidum, sive firmum, partibus morbose impactum, vitia humorum, meatuum, morbos instrumentarios alios, etc. diversimode inter se complicata, quorum efficacia non tantum magnitudo augeatur, sed materia quoque, conformatio, aliaeve

qualitates ſenſibiles praeter naturam mutentur. Tametſi igitur videri poſſunt alterum ordinem morborum auctae magnitudinis conſtituere; non eam tamen prae ſe ferunt ſimplicitatem, ut pro multifariis ſuis differentiis hoc loco commode explicari aut intelligi queant. Adde, quod exceſſus quantitatis, quem inter ſe communem habent, non ipſe morbus ſit, ſed ſymptoma, ſuo deinceps titulo (663.664.) tractandum.

263. Par ratio eſt minutae quantitatis, quam aut labes inducit originaria ſtatim a partu, aut poſtea, ſerius, ocyus, ſeſe prodens; aut mutilatio mechanica tollendo partem inſtrumenti; aut multiplici vitio naſcens ſuccorum replentium, nutrientium, defectus; aut cauſa ipſam materiem ſolidam liquans, deterens, corrodens, diſſipans. Comitatur adeo, ut ſymptoma, morbos varios infra demum (665.) enumerandos.

264. Denique et partes, quae in ſe ſpectatae vitio magnitudinis non laborare videntur, collatae cum aliis, proportione (212.) excedere aut deficere ita poſſunt, ut ea de cauſa homini major ad certos morbos proclivitas naſcatur, dicique debeat, ſi quidem id morbi nomen

men non meretur, ſeminium tamen morbi eſſe, quod alias ab ortu adnaſcitur, alias poſt demum ex oſſium praecipue affectionibus contrahitur. Conſtans proportionis diverſitas, quam ſexus et aetas monſtrat, non pulchritudini tantum, ſed et utilitati ſervit, nec ſemper quaslibet alienationes, ſalvis functionibus, ferre poteſt.

Morbi Fluidorum.

265. HVMANI corporis molem longe maximam ex fluidis conſtare, uti Chemia docet; ita his ad exequenda vitae et ſanitatis munia haud minus opus eſſe, quam firmis partibus, ex Phyſiologia certum habetur.

266. Nec perinde eſt ad functionum integritatem, qualis humor corpore contineatur, aut qua copia, quove loco ſit, moveaturne an ſtagnet, retineatur an excernatur: ſed habent iſta omnia ſuum quoque a natura conſtitum modum, a quo ſi deflectunt, morbus imminet.

267. Itaque, expoſitis ſolidorum vitiis, affectionum, quae in humores cadere poſſunt, doctrinam ſimili methodo

(122.) nunc quoque tradi oportet. Fatendum quidem, *in humoribus affectiones generatim quidem cogitari posse seorsim spectatis, attamen vix dari, nisi tales, quae aut a solidorum vitiata actione natae sint, aut saltim aliunde natae solida praeter naturam adficiant, vt ideo inter solidorum et fluidorum affectiones nexus indissolubilis sit, vtraeque per vtrasque nascantur, vigeant, declinent. Hinc praestantior ordo in Pathologia is foret, vt cum ipsis solidorum affectionibus fluidorum affectiones pertractarentur, saltim quatenus a vitiatis solidis dependeant. Indeque etiam* veteres haud adeo male iisdem inter morborum causas locum dederunt; quum solitariae plerumque illibata sanitate aliquamdiu ferantur, nec nisi laesis tandem solidis in morbum erumpant. Rationes tamen (123. 124.) datae praevalere videntur.

268. Humores corporis humani a Pathologo vel in se ipsis seorsum, vel comparate ad partes firmas, quibus continentur, spectari possunt. Utroque modo ingens vitiorum numerus occurrit, quorum illa absoluta, haec relativa, dicere, singulasqus classes in sua porro genera distribuere liceat. Ordinem pertractatio prodet.

Mor-

Morbi Cohaerentiae in Humoribus.

269. Omnibvs fluidis commune eſt differre a ſolidis. Differunt autem ſola materiae cohaeſione (150.), cujus exiguum quidem, attamen aliquem habent gradum. Cohaeſio nulla non fluidi minus, quam ſolidi, conceptum tollit: uti contra auctior *et ad certum gradum perducta* fluidum in ſolidum mutat. Hujus igitur dotis, ut ſimpliciſſimae, manifeſtiſſimae et maxime univerſalis hic primum ratio habenda*).

270. Vis cohaeſionis non eadem ſecundum naturam obtinet in omnibus et ſingulis humani corporis humoribus: ſua cuique data eſt, qua, quibus deſtinatur, muniis aptiſſimus reddatur. Fluiditatis ideo ſcala haud ſecus, quam firmitatis (154. 155.), multos comprehendit gradus

*) Quando dubitare licet, utrum corpuſcula naturam fluidam conſtituentia reapſe inter ſe mutuo contigua ſint, videri forſan poſſit minus apte illorum cohaeſionem praedicari. Nec intercedo, ſi cui libet, niſum in cohaeſionem, aut attractionem potius appellare.

dus valde differentes, ſive ſuccos diverſos ejusdem hominis inter ſe compares, ſive eosdem ſpectes in diverſa aetate, ſexu, temperamento, vitae genere, etc. Nimirum ſuos ſibi humores propriis viribus fabricat corpus ſanum, hinc ſuum ad modum fingit. Haec ſani morboſique in iſto genere menſura (155. 156.).

271. Cohaerentiae inter particulas humorum duo ſunt vitia, exceſſus ac defectus. Haec tenuitas, diſſolutio; illa tenacitas, ſpiſſitudo, lentor, dicitur. Utraque aut univerſos humores, aut ſingularem quendam occupat, toti corpori, aut parti modo, nociva.

272. Qui conſiderat, naturam non fruſtra hominis ſani liquoribus diverſiſſimos cohaeſionis gradus tribuiſſe (266.); his auctis aut imminutis pro rata decreſcere aut augeri fluiditatem; pro hujus autem ratione pariter minus magisve expeditos reddi humores ad motum, tranſitum per canales, diviſionem, mixtionem, adhaeſionem, abſterſionem, ſecretionem, excretionem etc.; qui dein cum his confert multifaria munia, quae pro oeconomiae humanae ejusque functionum integritate obire debent, eum latere nequit damnoſa utriusque mali

(271.)

(271.) poteſtas. Ut merito quis miretur, potuiſſe et huius rei inter Medicos controverſiam eſſe.

273. Conditionum generalium, a quibus fluiditas noſtrorum humorum pendet, idea ad intelligendam ejus vitiorum naturam praelucebit.

274. Ex quo per experimenta Petropolitana, *Göttingenſia*, *aliaque* tandem conſtitit etiam argentum vivum, intenſo frigore, in ſolidum metallum denſari; haud dubium ſupereſt, fluidorum, quae contrectabilia ſunt, nullum ſine aliquo caloris gradu exiſtere, igneamque *materiem* vel maxime requiri, ut fluiditas iſta efficiatur, conſervetur. Quod ipſum etſi de humoribus C. H. pariter affirmare licet et ſcire juvat; non ſufficit tamen Medico, cujus intereſt id, quod fluida illorum natura ſibi proprium habet, ſcrutari. Haec itaque notentur.

274.* Humores noſtri omnes et ſinguli, quos ſenſuum ope examinare datur, non ſimplices ſunt, ſed ex diverſa materie mixti, parte tantum aliqua ex ſe fluidi, altera parte ſolideſcunt; ut craſſamenti fluor vehiculo interfluenti debeatur, hujusque ad illud varia proportio diverſos fluiditatis gradus conſtituat,

tuat, altero alterius cohaeſionem moderante. (146. 147.).

275. Pars fluida mera fere aqua eſt (132. 133.), qua demta reliquum ſpiſſeſcit. Unde quo tenuior craſſiorve humor eſt, eo plus minusve aquae exhibet.

276. Craſſamentum ex triplici materie, ſalina, inflammabili, terrea, (134. ad 137.) coalitum, *in diuerſis humoribus natura, compoſitione, quantitate, diuerſum*, per aquam varia proportione diffuſum, inde concreſcere non potens, hanc viciſſim ſua quoque ſpiſſitudine plus minus inviſcat.

277. Differentiam itidem facit mutua proportio trium materierum (276.), quae craſſamentum efficiunt. Abundans terra et phlogiſton magis inſpiſſant.

278. Eſt et mucoſum quid in humoribus, lentum, in fila ductile, gummi vegetantium utcunque ſimile: quae craſſamenti portio minus oleoſa, mixtione ſingulari blanda, tenax, ſimulque, dum ceteris materiebus concorporata eſt, aquae amica et bibula, ideo vel magis etiam hic conmemorari debet, quia adhaeſione ſua fluorem lubricum efficit, eo quidem viſcidiorem, quo magis abundat, ſic velut glutinis vice fungens,

quo

quo ceterae humorum moleculae in aequabili communione inter ſeſe contineantur.

279. Legitimae iſtarum materierum (274. ad 278.) proportioni accedens mixtio aequabilis, quam motus et calor moderatus praecipue conſervant, ſuam cuivis humori conſiſtentiam determinat.

280. An etiam ſphaerica moleculacularum figura, quam microſcopium ex parte detegit, minimos contactus admittens, ad leviorem cohaeſionem diſponit? Multa ſunt, quae dubitare jubent. Videas et globulos ſanguinis, cum preſſi aliam induunt formam, non cohaereſcere: nec certe, niſi interfluente vehiculo diſparati, fluiditatem tuentur. Oleum non ideo fluidius eſt, quia ſeſe in ſphaerulas colligit cum aquoſo latice ſubactum. Ceterum qualem particularum figuram fluida homogenea prae ſe ferant aut exigant, Phyſici determinent; modo ex vero poſſint. Subtilitas iſta mechanica in liquores humanos, quorum natura heterogenea eſt et ex diverſae naturae corpuſculis compoſita (274.*), minime quadrat, nec ſane quidquam utilitatis Medico promittit.

281. Liquet hinc multa esse, quorum concursione justa humorum fluiditas nascitur, hujusque adeo vitia in varias abire species, a Medico probe distinguendas.

282. Spissitudo (271.) quidem alias defectum ponit aquae, quo fit, ut crassamenti particulae inter se nimis propinquae tenacius cohaerescant (275. 276.). Potus parcior, cibi sicciores, excretiones lymphaticae auctiores, dissipatio humidi per motum, calorem, etc. absorptio aut restagnatio ejusdem a crassamento separati, id malum producunt.

283. Nascitur et iners gluten in humoribus, cum crassamenti pars mucosa (278.) ultra modum increscit. Haec, aquae amans, hujus quoque abundantem copiam imbibere ac inviscare potest. Unde species haec tenacitatis a priori (282.) diversissima ortum habet ex alimentis glutinosis, *magna copia parum nutrimenti praebentibus*, coctione debiliore, circuitu humorum languente, intermisso motu animali, frigore, retentis excrementis mucosis.

284. Crassamentum porro superpondio suae terrae (276.), in qua vis cohaesionis

ſionis maxima (142.), laborare poteſt, atque hinc tenacitas naſci peſſima, ſicubi et aquae defectus (282.), ut fieri aſſolet, acceſſerit. Diſcrepat autem hoc vitium pro vario terrae cum materie ſalina aut oleoſa connubio. Acor inhaerens ſtipticum producit concrementum, quo vel aquoſus etiam latex ſolideſcit. Pingui obvoluta terra piceam in amurcam abit, quae, reſinae in modum, aquam reſpuens tenaciſſime vaſis adhaeret aegre abſtergenda. Terreſtria, dura, ſicca, auſtera, adſtringentia, farinoſa non fermentata, glutinoſa, pinguia, coagulantia, refrigerantia, ſtupefacientia, titulo cibi, potus, medicamenti, veneni, ingeſta materiem dant, cui ſi junguntur potentiae (282.), quae mobiliora expellunt, craſſiora figunt, *aut continentium actio vel paululum delinquens*, tanto citius certiusque humoribus iſta labes inducitur.

285. Effectus generales ſpiſſitudinis facile perſpiciuntur: primarii ſunt tardior humorum per canales tranſitus, hinc ſtagnatio, obſtructio, infarctus, ſecretionum ac excretionum impedimenta, multifarium denique tumorum genus.

286. Alterum cohaerentiae vitium, tenuitas humorum (267.), quae fluiditatis

tatis excessum ponit, haud minus multiformis est, hinc pro differentiis suis ordinate exponenda.

287. Prima eaque simplicissima species aquosa dici potest, cum ortum debeat aquae humores inundanti, qua reliqua principia nimis soluta et diffusa in moleculas justo minores, laxius cohaerentes, tenuantur. Sequitur abusum aquosorum, maxime calidorum, internum, externum; vitam desidem in aëre humido; solidorum debilitatem (157.), torporem (169.); evacuationes nimias; hinc circuitus vitalis languorem; caloris nativi defectum; retentionem excrementi aquosi. Producit autem suas vicissim causas, solida inundata infirmando (162.), torpefaciendo (198.), hinc tumores aquosos, frigidos, omniumque functionum lentorem. Huc et referatur illa nimiae fluiditatis species, quam crassamenti penuria infert, parte aquea idcirco minus inviscata (276.), *et illa, quae a solutione crassamenti procedit, mucosa viscidiore parte* (278.) *simul crebro generata.* Longa inedia, victusve ratio pro vitae gradu modove parcior justo ac tenuior, sic depauperare humores potest.

288. Altera tenuitatis ſpecies, compoſita, acrimoniam aquae junctam habet, cujus vi ſolvente et attenuante terreum, mucoſum ac oleoſum craſſamenti magis diviſum, vehiculo aqueo nimis diſſolutum dilutumque, arctiorem cum hoc copulam init atque adeo a mutua cohaeſione prohibetur. Acre inſuper, ſicubi ſalinae eſt indolis, amicum aquae, hanc trahit aegriusque dimittit. Naſcitur diſſolutio haec ex acri multum variante, vel inquilino, abundante, magis evoluto, corrupto; vel alieno cibi, potus, aëris, medicamenti, veneni, miaſmatis, contagii, ingeſto vel foris admoto, noto vel ignoto: qua de differentia ſuo deinceps loco dicetur. Tum quoque de effectibus inde oriundis conſtabit, ut qui pro acrimoniae diverſitate multum diſcrepant. In genere tenuis humor, valde meabilis, acri ſuo ſimul irritans, rodens, facili e vaſculis elapſu haemorrhagias, diarrhoeas, ptyalismum, urinas et ſudores colliquantes, ecchymoſes, maculas, exanthemata, puſtulas, pluresque alias circulationis, nutritionis, ſecretionum ac excretionum turbas inducit.

Acritates morbosae Humorum.

289. Qvodsi porro humores spectentur, uti in homine sano insunt, facile liquet, non sola fluiditate suis aptari muniis; sed requiri alias insuper dotes, easque vel communes omnibus, vel singulis proprias, quibus et ab aliis liquoribus non humanis, et inter sese discrepent.

290. Communium princeps est Blandities, quam, paucis modo exceptis, qui ob aliquam acritatem etiam excretioni destinati sunt, prae se ferunt. Illi igitur oppositum vitium acrimoniae, cum et frequentissimum sit, et multiplex, multisque modis damnosum, singularem meretur attentionem.

291. Acre in genere ratione corporis humani dicitur, quidquid pungendo, secando, rodendo, solidorum cohaesionem solvere, partibus vi sentiendi praeditis dolorem inferre, et vi vitali (170.) animatas ad contractionem stimulare valet. Aliud Mechanicum est, aliud Chemicum, hujusque obscurior vis agendi ex manifestiore illius utcunque intelligitur.

292. Acris Mechanici vis solvens, dolorifica, stimulans, ponit corporeae massae (1) figuram angulosam acutam, qua

qua penetrabilis ſit et omnem ſui motus vim in pauca modo puncta corporis, quod ferit, imprimat; (2) duritiei gradum, comparate ad corpus feriendum, majorem; (3) motum denique, quo in ſeſe mutuo incurrant.

293. Chemicae acritudinis quanquam ſubtiliſſima fabrica aciem ſenſuum effugit; ob effectuum tamen ſimilitudinem non plane diſpar ratio eſſe videtur. Rigiditatis, acuminis, motus, ideae et hic concurrunt, ſed ſano ſenſu, nec ſubtilius quam verius, adhibendae. Actioni huius acris favet fluor: ut adeo rigiditas *vix ſemper, et ſi ponitur*, nequaquam in univerſa maſſa, ſed in minimis eiusdem particulis duntaxat ponenda ſit. Nec et harumce figura exacte determinari poteſt, quae forte in alio atque alio acris genere diverſiſſima eſt, nec profecto tam abſolute anguloſa requiritur, quin et alia concipi queat. Motum denique haec acria non tam aliunde praeſtolantur, quam inſita ſua agilitate excitant, ab irritata tamen vi vitali (170.) ſimul adjuta.

294. Quocirca patet poſterioris tantum acrimoniae (293.) rationem hoc loco haberi; ut quae ſola humores ita

inficere poſſit, ut mutua permixtione partem eorum conſtituat.

295. Hujus vero multiplex origo clarius innoteſcet, ſi, quibus ad eam avertendam natura utitur, adminicula prius intelligantur.

296. Primum quidem, quos homini cibos potusque in alimentum deſtinavit natura, blandi ſunt, mites, nec eminenti quodam acrimoniae gradu pollent. Doceant fructus, cerealia, legumina, carnes, piſces, aqua etc. Luxus demum acria, aromatica, ſpirituoſa, ſalina, amara, rodentia, etc. in culinas ac cellas convexit, gulae irritamenta malis innumeris famoſa.

297. Corpus praeterea, qua oſtiis porisque patens introitum alienis concedit, janitore ſenſu cuſtoditur, qui ab appulſo acri irritatus motus ciet, quorum efficacia conſtrictis viis hoſtilis materies excludatur, aut aliquo uſque admiſſa rejiciatur, ſaltem majore humorum affluxu, vi ſtimuli concitato, diluta ac obtuſa utcunque miteſcat.

298. Quum tamen et perſonata acritas ſubdole irrepat, quae poſita intus larva ſeſe explicet; et blanda quoque tum vi actionum vitalium, tum errore mul-

multiplici, intra corpus degenerare queant; immo materie ſalina, cui acre potiſſimum debetur, etiam ſecundum naturam (136.) undique perfuſi ſimus; huic quoque inevitabili periculo remedium praeſto eſt ſolicita blandi et acris permixtio, hujusque paucioris per abundantem illius copiam facta velut ſuffocatio. Enimvero, ſi quatuor ſpectes principia (275. 276.), nuſpiam in humoribus micula datur ſalis, quam non et terra obtundat, et phlogiſton molliat, et plurima diluat aqua. Lenis inſuper mucus (278.) per omnia ſeſe diffundit, acri mitificando, illituque adverſus idem muniendis ſolidis, aptiſſimus. Nec diſpar eſt pinguedinis humoribus remixtae utilitas. Idcirco etiam ad ingerendos cibos potusque fame ac ſiti compellimur; ut non defectui ſolum, ſed etiam acri, quod ex inedia ſubnaſcitur, blando chylo occurramus. Crudum vero, quod in illis eſt, itidem nonniſi per ſubtiliſſima oſcula, hinc minima ſenſim quantitate, in interiora corporis admittitur; ut plurimo mox humore inquilino obrutum, tectam, qua forte pollet, acritatem exſerere nequeat. Motus denique perpetuus, moderato calore adjutus,

jutus, mixtionem aequabilem curat conservatque, nec acre sine blando seorsum esse sinit.

298. *Blanditiei in humoribus, quae vero exsuperans praeter naturam, in vappiditatem transit, idea haec ponenda est, vt acre, quod ipsis per naturam inest, non excedat. Continentia vero natura et ab vsu pendens consuetudo tali modo instruxit, vt ab acrimonia humorum, quos vehere, secernere, retinere, excernere solent, dummodo sanitatis limites non excedit, non afficiantur. Si vero in alias partes humores, etiam sanissimi, et certis, quibus duci, recipi, servari, debent continentibus destinati transfluunt, irritatio ingens et noxae multifariae nascuntur. Ipse sanguis, incorruptus etiam, si in aliena sibi loca defertur, non solum pondere, sed acrimonia quoque his partibus insueta nocere videtur. Nocent manifestius vrina, bilis, in aliena loca deductae.*

299. His vero omnibus nondum satis tutum corpus sua etiam obtinuit emunctoria, per quae, quod intro admissum domari nequit, aut quoquo modo intus evolvitur, acre mature, priusquam noceat, eliminari possit. Immo nec ordinariis, quorum perpetua est in sanitate functio, contenta natura, sicubi ex acri intestino aegrotat, etiam insolitis utitur

viis

viis modisque, quibus ab illo ſe liberet (vid. 19. 637. et ſeq.)

300. An et naturae humanae facultas ineſt, moleculas acres, detritis aut intropreſſis angulis, in ſphaerulas tornando blanditiem creandi? Non ſatis conſtat ſpecioſam ideam aequaliter in fluidam ſolidamque acrimoniam quadrare. Credibilius profecto, mixtione Chemica (298.) magis, quam Mechanica rotundatione, id opus perfici.

301. Ex his itaque perſpicitur, primum morboſi acris fontem ſitum eſſe in multiplici commercio, quod homini vivo cum rebus externis intercedit (6.). Aër, cibus, potus, medicamenta, venena, miaſmata, contagia, multifarium acre ſic in humores a foris, per diverſas vias modosque, invehunt; maxime, ſi blando ſub vehiculo clam irrepit; aut varia corruptione, mixtione, ſeceſſione, intus evolvitur (298.); aut, qua intrat, torpidior eſt vis vitalis (297.), vel impetu majore ſuperatur.

302. Naſcitur et acre, cum ſanum corpus neceſſaria alimonia (298.) non reficitur, eoque citius, quo vigor vitalis major: is enim non diſſipat modo blandiora, ſed et materiem ſalinam extricat

acuitque; ut ideo pabulo demulcente egeat. Inde languentes aegri longe diutius, quam ſani, inediam ferunt: animalia hyeme ſopita, ſine alimonia, minimum ſuae vitae gradum conſervant.

303. Huc porro referatur humorum circuitus naturae modum excedens, cui immoderatior calor ſe comitem jungit. Neuter diu tolerabilis, quin aqua avolet, et mite oleum cum ſale acreſcat.

304. Stagnatio itidem naſcentem ex aequabili mixtione blanditiem (298.) in plerisque noſtris humoribus pervertit. Inde promptuaria acritatum in partibus ſingularibus oriuntur, quae noxas quaquaverſum diffundunt.

305. Nihil tamen acrimoniae ingenerandae magis favet, quam anomalia illorum motuum, quibus coctiones, ſecretiones ac excretiones perficiuntur. Cruditas hinc, multiformis per ſpontaneam corruptionem in acre degeneratio, incongrua ſeparandorum permiſtio, aut miſcendorum ſeparatio, retentio materiae acris excrementitiae majorque exaſperatio, utilium, quae ſua blanditie acria diluunt ac temperant, excretio, aut ob confuſas ſordes depravatio, et quae ex his profluunt, innumera humorum vitia.

vitia. Documento ſint noxae ex animi motibus oriundae.

306. His fontibus ortum acre, motu ac calore vitali incitatum, pruritus infert, dolores, ſpasmos, convulſiones, irritatis ſolidis motus humorum irregulares, conſtrictis canalibus immeabilitatem, eroſis ecchymoſes, evacuationes nimias, puſtulas, ulcera, cariem, atrophiam, multasque alias functionum perturbationes. Haec quidem omni humorum acrimoniae communia ſunt. Habet autem et unaquaeque, ut natura diſcrepat ab aliis, ſuam ſibi privam inſuper efficaciam. Quin et origo ſingulis non eadem eſt. Unde, praemiſſis generalibus, ſpeciatim quoque pertractari merentur.

307. Acor primis maxime viis infeſtus, tempore et ſanguinem humoresque inde deductos ſubiens, naſcitur ex uſu immoderato acidorum aut aceſcentium, quae viribus corporis non ſubiguntur; aut quia ex ſe indomabilia ſunt naturae humanae, aut ob virtutis coctricis impotentiam. Debilitas igitur (157.) ſolidorum univerſalis, aut privata viſcerum primae digeſtionis; irritabilitas (190.) regulares illorum motus concita-

tis ſpaſmis turbans; inertia defectusve ſuccorum praeparantium, maxime bilis; circulationis et caloris naturalis languor, inopiae boni ſanguinis, neglective motus animalis conſecutio etc. eo diſponunt: ut pateat, cui maxime aetati, ſexui, vitae generi, hoc acre frequentius eveniat? An etiam haereditaria connatave labe contrahitur? Videas foeminas, dum uterum ferunt, graviter acido laborantes, ſtatim a partu melius habere, infantem contra miſere eodem affici, quin et interire; tametſi lacte materno non utatur? An et nocentes dantur potentiae, quae in C. H. vivum agentes, acidum ſingulare phoſphoricum, quod Chemici ſua arte ex fluidis non minus, quam ex ſolidis animalium (145.*) proliciunt, ſic extricare queant, ut exſolutum pro ſuae naturae viribus morbos inducat? Dum acidi iſtius origo inter problemata chemica merito adhuc numeratur, malim ne conjecturae quidem locum concedere.

308. Qui hoc vitio laborant, his, praeter modo memorata (306.), acido aquam trahente, retinente, alcaleſcens naturale, quo phlogiſton ſanguinis evolvitur, ſupprimente, terram ſolvente, pallet,

let, friget corpus, laxantur ſolida, flexile (160. 3.) et fragile (161. 4.) forſan in oſſibus naſcitur, vigor circulationis, virtutisque vitalis, minuitur: unde craſis humorum vitiata, ineptitudo ad aequabilem circuitum, aſſimilationem, nutritionem, aliaque mala innumera.

309. Acerbi hinc perſpicitur natura, materies, et nocendi vis. Naſcitur enim ex acido in multam terram defixo, jungitque acrimoniae ſpiſſitudinem, qua humorum coagula, obſtructiones refractariae, vaſorum conſtrictiones, etc. creantur (284. 285.).

310. Acre alcaleſcens, volatile, purum, in humores inducitur abuſu vegetabilium acrium, quae hoc ſale ſcatent; tum et eorum, quae nativo ſani corporis ſali admiſta alcali volatile ex eo evolvunt: cujusmodi ſunt ſales lixivi, ſapo, calx viva etc. Aromata quoque calidiora, multum quotidie ingeſta, dum perpetuo ſtimulo exagitant, ignea vi ſales noſtros in id acrimoniae genus acuunt. An forte et venena quaedam huc referenda? Actioni eorum favet calor intenſior.

311. Proprium huic acri eſt humores, diſſoluto craſſamento, nimis attenuare,

nuare; ut incitato ſimul motu, irritatis ſolidis, eroſis canalibus, vix coërcendi hac illac effluant: unde quae porro conſequantur mala, pronum eſt eruere (288).

312. Putredo, affinis quidem priori vitio (310.), nequaquam tamen confundenda, compoſitum notat acrimoniae genus, quo affecti humores ſimul et ſalem habent volatilem alcalinum, et oleum huic permiſtum acre, foetidum. Utriusque materiae, maxime tamen poſterioris, corruptio demum putredinem conſtituit: haec ideo uti nunquam non foetorem comitem habet; ita nec niſi corporibus competit, in quibus natura oleoſa ineſt. Simplex alcali volatile etiam putrorem antevertere poſſe PRINGLII experimentis certum eſt.

313. Ex diverſis ideo cauſis etiam naſcens pro fundamento habet ſpontaneam corporis noſtri in hoc vitium proclivitatem (149.), in qua tum fovenda, tum ab exceſſu prohibenda, mirabilem perpetuo ſolertiam natura oſtendit. Materiem itaque huic corruptioni praebent ipſi humores ſani; victus deinde animalis, ſponte aut vi praeparationis in putredinem pronior; aquarum, aëris, putror corpore ſuſceptus; nidulantes in primis viis

viis vermes; fomites ulcerosi, cariosi, cancrosi, gangraenosi, etc. tabo in humores effuso inficientes. Excitant autem et accelerant motum septicum calor ingens, maxime humidus, calor subito succedens frigori glaciali, agitatio nimia, stagnatio, aër non renovatus, cibi potusque vigente vita defectus, suppressa excrementorum ejectio, medicamenta, venena, miasmata, contagia, quae, etsi per se neutiquam putrent, vi tamen fermentali aut stimulante, admista humoribus, solidis vivis applicata, ocius, serius putredinem inducunt.

314. Nata haec acrimonia, vitae infestissima, humores dissolvit, acuit, ad nutriendum ineptos reddit, pingue eliquat, rancore inficit, solida irritat, erodit, tabefacit; hinc febres acutas, putridas, contagiosas, malignas, inflammationes, exanthemata, gangraenas, sphacelos, circulationis, secretionis, excretionis, omniumque functionum turbas creat, saepe nec natura, nec arte superandas. Tetra quippe lues, corpore semel suscepta, et pabulum suum circum circa in promtu habet, quod vi septica sibi assimilet, et ipsis uitae actionibus magis incitatur (313.): hinc subdole gliscente

te

te malo, oppreſſis ſubito naturae viribus, medicati ejus motus (101.) aut deficiunt, aut debiles minusve congrui plus etiam nocent, quam proſunt (104.).

315. Salis cibarii abuſus, maxime cum potio aquae parcior eſt, nec ſufficiens illius per urinas evacuatio, acrimoniam muriaticam per humores diffundit. Horum inde diſſolutio, gravitas major, aquoſae mucoſaeque partis exaſperatio, circulationis calorisque nativi augmentum, pruritus, rubores, eroſiones, putrida carnium tabitudo, aut majore exceſſu, impacto in terram ſale, durities inflexibilis.

316. Par fere ratio eſt acrimoniae ammoniacalis, quae ſalis nativi, aut huic adfinis, ſuperpondium in noſtris humoribus ponit, naſcique poteſt, cum excretio ſalium legitima, per urinae potiſſimum vias facienda, quoquo modo ſupprimitur, aut exſuperans alcaleſcentis vel acidi ſalis copia (307. 310. 312.) ſalutari oppoſiti ſalis uſu cicuratur.

317. Hae quidem manifeſtiores ſunt quibus humorum maſſa inficitur, acritates. Multae ſuperſunt aliae, *propriae naturae et incomprehenſibilis magna ex parte*, *ex effectibus ſuis tantum cognoſcendae*, *nec ad chemicam*

micam vllam compoſitionem aut affinitatem referendae, quae aut ad ſingulos tantum humores pertinent, ſuo deinceps loco exponendae, aut commodius inter potentias nocentes (76. 419.), recenſentur.

317. *Humores autem, vti amiſſa naturali blanditie acres euadunt* (291. ad 317.), *ita et defectu partium ſalinarum, terrearum, phlogiſti, caet. vappiditatem quandam et inertiam contrahunt, quae efficit, vt continentibus non amplius naturalis ſtimuli loco eſſe poſſint. Mucoſum etiam, glutinoſum abundans* (283.), *aquoſa tenuitas* (287.), *obuoluendo, diluendo, eadem efficiunt. Quae a ſolidarum partium laxitate et inertia nata vtplurimum affectio vitalem vim, motus, circulationem debilitando, retardando, morbis multifariis, pituitoſis, cachecticis, contabeſcentiae corporis pituitoſae, caet. originem praebet.*

Morbi humorum ex vitiata fluidi cum ſpiſſo cohaeſione.

318. Si porro cogites, requiri, ut inter diverſas materias, ex quibus permixtis humores conſtant (274. * et ſeq.), aliquis detur adhaeſionis gradus, qui mutuam mixtionem moderetur, cave-

atque

atque tam divortium juſto facilius, quam nimis difficilem aliarum ab aliis ſeceſſionem; novum ſeſe offert vitiorum communium (289.) genus, cujus poſterior ſpecies quidem ex ſupra dictis de ſpiſſitudine humorum (282. ad 285.) ſic ſatis intelligi poteſt: at prior utique ſingulari titulo meretur conſiderari; quia vixdum a Pathologis annotata, non raro tamen in praxi obvia eſt; utroque autem conſiſtentiae vitio in humores inducto duplicem malorum diverſiſſimorum fontem aperit.

319. Fac portionem fluidam cum craſſamento (274.) laxius juſto cohaerere; mutua ſeceſſione naſcetur hujus inſpiſſatio, inertia, et reliqua mala, ante (285.) recenſita. Tenuis contra pars, vaſculis haud rite coërcenda, perſpiratione, ſudore, urinis, alvi excretione, ſalivatione, praeter modum auctis, e corpore, non ſine multiplici noxa, effluet (288.), aut in cavitates majores minoresve congeſta, ſtagnans, varias hydropum ſpecies producet.

320. Prout autem craſſamentum quoque diverſimode a naturali ſua craſi deflectit, vitiata aut proportione, aut indole ſuarum partium (276.); ita ex ſeceſſione

ſione naſcens concretio (319.) alia atque alia erit. Exſuperans mucus (278.) viſcida, gummoſa, pultacea, dabit ſpiſſamenta: abundans evolutumque phlogiſton pinguia, ſebacea, reſinoſa, amurcoſa: copioſior denique terra, ob parcius oleum macilentior, forſan et infixo propius ſale acido ſtiptica (284.), haud ſat ſolubilis, cum de aquoſo latice elabitur, calculos, tartaros, oſſeas lapideasque partium indurationes generabit.

321. Difficile fuerit omnes explanare modos, quibus iſta affectio in humores invehitur: credibile tamen magnam partem deberi erroribus in diaeta diu multumque admiſſis, coctionum vitiis, vehementibus aut diuturnis circulationis, *in parte praeſertim alia concitatae, alia retardatae*, ac motuum vitalium turbis, febribus intermittentibus longinquis, anomalis, malignis *), affectibus ſpaſmodicis, excretionibus inordinatis, etc. Quo et retuleris forte haereditatem.

Mor-

*) Confr. H. BOERHAAVE Aphoriſm. §. 753. et G. VAN SWIETEN Commentar. in hunc locum T. II. pag. 518.

Morbi Humorum Singulorum.

322. PLVRIMA ſunt, quibus ſucci C. H. inter ſeſe diſcrepant, eaque praecipua; quum ſuis quemque muniis aptum reddant. Quocirca et multifarii in hoc genere occurrunt a ſtatu naturali deflexus, tam ob frequentiam, quam ob perpetuum fere cum vitiis univerſalibus nexum, apprime notandi; ut ideo ordine pertractari mereantur.

Chyli vitia.

323. CHYLVS primarum viarum pro materie habet ſuccum ex cibo potuque ingeſtis prolectum, liquoribus inquilinis, qui in hanc officinam confluunt, permiſtum, aëre, calore, virtute organorum primae digeſtionis mutatum. Naturam ergo eorum, quibus conſtat, et virium, quibus mutatur, gradum ſequitur, duplicique hoc ex fonte vitioſas non minus, quam laudabiles, trahit qualitates.

324. Quum vero nutritioni deſtinatus per univerſum corpus diſtribui debeat, vitiatus non primis tantum viis nocet, ſed labem quoque ſuam in omnes humores, quin et in ſolida diffundit; ut

ut merito plerarumque cacochymiarum et cachexiarum origo inde repetatur.

325. Acrimonia acida, ſuis ex cauſis nata (307.), in chylo frequens, ventriculo ac inteſtinis irritatis producit ructus acidos, cardialgiam, voracitatem, flatus, tormina, ſpaſmos, pyroſin: bilem praecipue enervat, virore inficit et acore, qui hinc ad feces etiam alvinas deducitur, toti inteſtinorum tractui non ſolum, ſed per ampliſſimum huius officinae conſenſum univerſo etiam corpori infeſtus: acri denique in ſyſtema circulationis delato oriuntur mala (308.) enumerata.

326. Chylus auſterus generatur ex ingeſtis ſimilibus, immaturis, acerbis, vinis auſteris, abuſu abſorbentium, adſtringentium, coagulantium; maxime ſicubi copioſo liquore non diluuntur, inque debili corpore nec vi diſſolvente bilis, nec valido motu animali, tenuantur. Producit dolores in primis viis ſtringentes, algentes, anxietatem; introitum in lactea ſibimet impedit; hinc reſtagnans, cum fece miſtus immeabili, tum ſuo privat nutrimento corpus, tum ſcybalis intra coli ſacculos coactis, alvo pertinaciter adſtricta, colicas ſpaſmodicas, hae-

morrhoides et harum consecutiones creat; aut intro admissus glandulas mesenterii obstruit, vitioque in reliquos etiam humores diducto noxas (285. 309.) infert.

327. Putridi, nidorosi, in hoc succo multiplex origo (312. 313.). Id semel susceptum ubi menstrua primae digestionis, praesertim bilem, infecit, tubique alimentaris parietes sua mephiti imbuit, vi septica dein in ingesta grassatur, lateque per corpus se spargit. Inde ructus nidorosi, sordes putridae oris, linguae, faucium, sitis, postratus appetitus, nausea, vomitus, anxietas, calor molestus, diarrhoea putrida, aphthae, raptoque in interiora putrore mala supra (314.) memorata.

328. Nec raro rancor chylum infestat, degeneratio sui generis, succis pinguibus vegetabilium et animalium natura blandis, insipidis, nec odoris, propria, qua occultum in iis acidum evolvitur et mirifice attenuatis, velut igneis, materiae oleosae particulis sociatum ita acuitur, ut odorem saporemque acerrimum, et vim stimulandi, rodendi ac urendi, simulque majorem volatilitatis gra-

gradum consequantur. Unde liquet compositum quidem salinae oleosaeque acritudinis genus pariter hic locum habere, atque in putredine (312.); at si naturam utriusque spectes, longe diversum *). Nascitur illud in primis viis ex ingestis pinguibus, fracidis, rancidis, elixis, assis, tostis, frixis, per menstrua primae digestionis non sat subactis, calore nimio interno adustis etc. stomachoque semel fracedine aut putrore imbuto sese multiplicat et propagat. Facit autem cardialgiam urentem, ructus ac vomitiones materiae pinguis, rancidae, amarae, aut et acris acidae, causticae, inflammabilis, horrorem ciborem, sitim summam, siccitatem gutturis, calorem anxium, alvum constipatam; alias et bile eodem vitio corrupta, acerrima, tumultus officinae cibalis cholericos, colicos, feces pingues, fervidas, olidissimas, urinam flammeam, acrem, calidam, spumosam, cutem aridam, aut perspirabile mephiti rancida infestum,

 fe-

*) Vid. I. D. HAHNII in hanc rem experimenta et observationes in dissertat. inaugur. D. GRÜLL de Rancore et morbis ex rancido. Lugd. Bat. 1777.

febres ardentes, eryſipelata topica, vaga, eruptiones cutaneas variae formae, inflammationes acres, vix reſolvendas, hisque longe pejora ſymptomata, ſicubi et pinguedinem corporis ſimili tandem vitio imbuerit (375.460.).

329. Chylum nimis glutinoſum creant farinacea cruda, pultacea, frigida, tenacia, gelatinoſa, pinguia, auſtera, diu multumque ingeſta, defectu aut inertia liquorum digerentium, imminutis viribus coctricibus, languore circulationis, omiſſo motu animali, non rite ſubacta (283.284.). Ex quo vitio proſtratus appetitus, repletionis ſenſus; nauſea, vomitus glutinis; ſalivae, bilis, ceterorumque hujus officinae menſtruorum inviſcatio, hebetatio; ventriculi ac inteſtinorum laxitas, inertia; ſecretio et abſorptio chyli impedita; alvus tarda et ſine dolore tumens; acida, putrida, rancida ex reſtagnatione corruptio; meſenterii obſtructio, muci in omnibus humoribus abundantia (283.), et, qui hinc profluunt, effectus (285.) naſcuntur.

Lactis Dyscrasiae.

330. CHYLUS porro in transitu ad systema sanguiferum copiosa prius lympha dilutus, cum sanguine dein mistus subactusque, aliquamdiu post nutricis uberum apparatu lac daturus hujusque adeo naturam adeptus, nondum plene coctus, ut ingestorum, unde paratus est, indolem etiamnum prae se fert, ita nec vitia ejus, in primis viis contracta, coctione secunda facile corriguntur (324.). Cum vero lac spontaneo suarum particularum nisu in triplicem diversae naturae materiem secedat; cremorem puta, serum et caseum; horumque prior depuratione butyrum exhibeat rancori obnoxium; serum plurima polleat aqua, solutum continente salem saccharinum, qui in acorem vergit; casei denique natura tum coagulabilis, tum putrescibilis, gluten animale referat; inde vel magis etiam apparet, alienationes illas non minus in lacte, quam in chylo, locum habere atque ex ante dictis (325. ad 329.) posse intelligi.

331. *Videntur in ipsa lactis in sanguifero systemate praeparatione vitia quaedam subinde subesse, partim ad materiae, ex qua lac com-*

ponitur, juſtam proportionem vitiatam, partim ad alienas illius qualitates referenda. Etenim quod poſt partum ſtatim paratur, lac, in quo lymphatica et tenuior pars abundat, craſſiore, cremoracea et caſeoſa progreſſu temporis copioſius praeparata, et coagulari nimis poteſt, et reſolui, et acrimoniam induere. Unde, turbatis a varia occaſione, praeparatione et ſecretione, errabundus humor in aliena loca, facile deponitur, mox aquoſus, mox lymphaticus, ſpiſſior, irritatione, inflammatione, corruptione caet. nocentiſſimus (564.). Habent diverſae lactis materiae (330.) juſtam, etſi non ſemper exquiſite eamdem, inter ſeſe proportionem mixtionemque aequabilem et congruam cohaeſionem; ut liquor in ſpeciem homogeneus, ſuas tamen in partes ſeparabilis, naturae finibus ſufficiat. Credibile igitur poſſe et proportionis vitia in illis naſci, quae requiſitas chyli dotes pervertant; et cohaeſionis mutuae gradum augeri nimis minuive, ut tardius aut citius, quam par eſt, a ſe mutuo ſecedant. Applicentur huc ſupra expoſita (274. ad 280. 282. et ſeq. 318. ad 321.).

An pingue in lacte abundans, laxiusve cum ceteris illius particulis cohaerens, cauſa nimiae obeſitatis? Pinguedinem

nem certe corpori ex oleo chyli venire in mollem cellulosam deposito, multa docent. Cremorem quoque simplice potius mixtione, quam vera solutione, cum lacte cohaerere, spontanea ejus per moram secessio indicat. Alimenta igitur pinguia large ingesta si chylum copioso obruunt adipe, quam nec virtus attenuans humorum, bilis maxime, nec vegetus circuitus, auctiorve calor et motus animalis, rite subigant, eodem facile secedente farciri corpus necesse est.

Sanguinis affectiones.

332. Sanguini par alius liquor extra corpus animale, aut natura, aut arte, productus non invenitur. Est ergo solius vitae animalis effectus eo singularior, quod exsanguia etiam alimenta pro materie habeat.

333. Constat quidem, ut ceteri nostri humores, parte tenui et crassa (274.), similiaque etiam principia examine Chemico prodit (275. 276.); quin et communis eorum veluti mater est: at multum tamen discrepat a singulis. Unde operae pretium fuerit, quae sibi priva habet, prout absque violento experimen-

torum apparatu ſeſe manifeſtant, prius proponere; ut dyſcraſiae ejus deinceps clarius intelligantur.

334. Sanguis, ex ſani hominis vaſe ſincerus fluens, calens, pelvi exceptus, craſſiusculum refert liquorem, homogenei ruboris, opacum, ad tactum pinguem, gelatinoſum.

335. Halitus tum ſponte aſſurgit foetidulo odore percipiendus, qui campana frigida exceptus, denſatus, in laticem abit excolorem, nec acidum, nec alcalinum, vix niſi odore ab aqua pura diſtinguendum. Haec pars ſanguinis volatilior, mole pauca, eſt, quam ſui generis ſpiritum, πνεῦμα, cum HIPPOCRATE dixeris, pro ſua efficacitate in oeconomia animali nondum ſatis a Medicis conſideratum *).

336. Frigeſcens interea, qui reſtagnat, ſanguis, qua aëri contiguus eſt, pelliculam contrahit totusque tandem in ſpiſſamentum cogitur tremulum, aequaliter rubrum, ſevo ſimile igni liquato, quod frigore iterum conſiſtit: ut pateat motu ac calore vivi corporis fluorem ejus aequabilem conſervari.

337.

*) Confr. quae ſupra (209 n. 5.) diſputavi.

337. Dein ex ſuperficie ac ambitu coaguli undequaque tenuis, pellucidus exſudat humor, fortiore particularum craſſamenti niſu ad mutuum contactum veluti expreſſus, qui paullatim adunatis guttis auctior, ſeorſus circum placentam rubram diffluit, hancque pro rata jam contractiorem, a contactu pelvis undique ſemotam, in modum inſulae, natare facit. Hic alter ſeceſſus in ſerum et craſſamentum, materias diverſiſſimas.

338. Serum ſponte fluens, quantavis aquae copia facile, aequabiliter, diluendum, diaphanum, ſubflaveſcens, ſaporis leniter ſalſi, mucoſa materie (278.) valde diluta viſcidulum, igne CL. graduum thermometri Fahrenh. inſtar albuminis ovi, cito, absque multa diſſipatione, concreſcit in maſſam albidam, ſciſſilem, quae porro calore modico fota diſtillando in duas partes ſecedit; alteram volatilem, fluidam, excolorem, aquae ſimillimam, copioſiſſimam; alteram fixam, ſolidam, corneam, cum tenacitate fragilem, ex cinereo ſubflavam, nunquam ex ſincero rubram aut rubroatram, mole exiguam, aqua inſolubilem. Immo et plurima prius dilutum aqua, eodem dein calore tamen concreſcens, ex illa, floc-

floccorum alborum ſpecie, ſidit. Haec tertia ſeparatio, quae aquam et gluten, ſale imbutum nec manifeſte acido, nec alcalino, naturamque albuminis in hoc ſero prodit.

339. Craſſamentum rubrum, etſi homogeneum videtur, facili tamen opera in diverſa abit. Quodſi enim ſuper linteo expanſum adfuſa iterum iterumque aqua non calente abluitur; ſerum (338.), quod intra reticulata placentae (337.) ſeptula ſupereſt, materiae rubrae commiſtum, una cum iſta per aquam ſeſe diffundit, cumque hac per poros lintei tranſit, relicta immeabili maſſa, ruboris experte, fibroſa, membranacea. Haec quarta ſeceſſio in partem rubram et fibroſam.

340. Fibra ſanguinis, iterata ablutione albeſcens, ex filamentis velut in membranas contexta, aqua non ſolubilis, ſero igne coacto (338.) haud abſimilem refert materiem. Haec craſſamenti baſis, a portione rubra longe diverſa; diverſa etiam a ſero; quum ſponte ſolideſcat ſanguine frigente, ſtagnante, ab ſero fluido ſemet ſegreget, rubriſque particulis tum quidem amicior has trahat ſibique adſociatas ſuis velut cancellis concludat. An

igi-

igitur ineſt etiam in ſanguine vitali? An naſcitur demum in effuſo? Ineſt certe materies fibrae, ſed coire impedita, dum motu vitali calet ſanguis. Nec abeſſe conſtat, quia microſcopio non detegitur. Attamen non dixero forma fibrae in ſanguine vivo fluitare, nec quanam alia: qualiscunque enim fingatur, obſtructio non metuenda eſt, dummodo ejus particulae cavis vaſculorum, per quae meare debent, minores fuerint et interfluente ſero ſic diſparatae, ut ſeſe mutuo apprehendere nequeant. An vero elementa fibrae neceſſario fibrillas eſſe oportet *)?

341. Rubra pars, per aquam diffuſa (339.), plure etiam aqua in infinitum fere diluta, dilutius quidem rubet, nunquam tamen flaveſcit: uti nec recentis ſanguinis guttula, millecuplo aquae tepidae permixta, in flavedinem diducitur, ſed rubella manet. An ergo rubor ejus flave-

*) Fibram cum MALPIGHIO aliisque appello, quia diſtinctae concretionis initium hac fere forma utplurimum ſeſe prodit. Vid. I. G. BERGERI Phyſiol. Medic. pag. 152. 153. Lympham coagulabilem recentiores cum SENACO vocant.

flavedini ſeri (338.) addenſatae tribuendus? Vix credibile.

342. Eadem per aquam aequabiliter diffuſa, cum hac per poros lintei trajecta (339.), ſpecie homogenei, diaphani liquoris, quamprimum igne acta bullit, ſeceſſum molitur, inque floccos pallide rubentes coacta, colo ſeparata, aquam rubore carentem reddit. Quippe ſerum ex parte, una cum rubra ſanguinis portione, vi aquae ablutum (139.), calore in albidos floccos coagulatum, dum deſerit aquam, ſecum trahit inviſcatam ſimul rubedinem; unde albo rubroque permixtis pulticulam pallidiorem naſci oportet. Non igitur recte dixeris, rubrum aqua intime ſolutum fuiſſe. Immo fugit aquam, nec, niſi interventu ſeri liquidi, per eam diffuſum manet, cumque illo, vi coaguli ſecedente, et ipſum ſecedit.

343. Puls rubella (342.), leni calore ſiccata, maſſam dat atrorubram, friabilem, igne majore ex parte liqueſcentem, admota flamma, cum fumo uſtos pilos vel ungulas olente, ardentem, quae Chemico apparatu explorata magnam vim olei, et ex reſiduo in cinerem redacto terram ferruginoſam, promit. Naturam

turam igitur longe diverſam a ſero aeque ac a fibra habet.

344. Unde liquet, dari in ſanguine, praeter ſpiritum (335.), triplicem materiem contrectabilem, ſerum, rubrum et fibram: quae licet mutuas inter ſeſe affinitates habeant et motu ac calore vitali aequabiliter permixta conſerventur, intime tamen cohaereſcere ac Chemica ſolutione invicem conſociata eſſe dici non poſſit. Ceterum ut analyſi Chemica generali (130. et ſeq.) ſic ſatis quidem inter ſe conveniunt, communemque habent tum conjunctim, tum ſeorſum ad putreſcendum proclivitatem; ita in ſingulis inſuper proprium quid ineſt, quo inter ſeſe differunt: in ſero aqua praevalet ſalesque fixi, cibarius et alcali foſſile; in fibra terreum gluten, plaſticum, ſeroſo ſimile, ſed meracius, hinc ſponte in concretionem ruens (143.), praecipua forſan ſedes acidi phoſphorici (145.*), quod etiam ex ſanguine obtineri experimentis conſtat; in rubro ferrum et phlogiſton rancori obnoxium. Quare ſanguinis fluiditatem ſero tribueris; fibrae craſſitiem niſumque ad concreſcendum; parti rubrae purpuram. Sin-

Singulis ſua in oeconomia animali utilitas, neceſſitas.

345. Nonne igitur et magna eſt ſanguinis cum lacte ſimilitudo? Major certe, quam cum alio quovis noſtro humore. Compara cum ſero lactis ſerum ſanguinis, cum cremore rubrum, cum caſeo fibram! Multa invenies utrinque communia, ſive materiem ſpectes, ſive cohaeſionem et ſeceſſum (330. 331.). Ut forte non inepte lac ſanguinem album, ſanguinem lac rubrum appellaveris. Diſparitatem, quae lac inter et ſanguinem obtinet, aliqua ex parte utcunque explicant vires circulationis, ſubactionis cum univerſa ſanguinis iam cocti maſſa, preſſionis frictionisque in canalibus, caloris et aëris, conjunctae, quarum protracta actione ſal aceſcens in alcaleſcentem, fermentabile in putreſcibile, mutatur, phlogiſton magis evolvitur, terra denſatur.

Atqui ſanguinis ex lacte, ut hujus ex chylo, origo ſimilitudinem quoque involvit. Cave tamen ne plenam intimamque credas, quae modo ſuperficiaria eſt! Naturae propriae ſingularium partium, quae mutuam in lacte et ſanguine relationem habent, penitus hodie examinatae, mirum quantum inter ſeſe diffe-

differunt *): ut omnino fateri cogamur, modum, quo ſanguinem ſibi natura ſana tam facile citoque parat, nondum a nobis intelligi.

346. Rubram hinc ſanguinis materiem, quae ceteris mole quidem minor, at ingenio ſingulari potior eſt, adipis lactis particulam eſſe dicas, quae ſerum inter fibramque contrita, diviſa, per ſeri ſales, alcalinum praeſertim (344.), magis attenuata, moleculis inſuper terrae ferrariae (343.) impraegnata, denſata, eam naturam induit, ut phlogiſto ſuo evoluto purpuraſcat, cumque ſero et fibra aequabiliter commiſta liquorem homogeneum quidem referat, nec tamen veri inſtar ſaponis ita cohaereat, ut non cum ſero magis aquoſo divortium faciat, quamprimum remittens calor et motus miſcere deſierunt.

347.

*) Exemplo ſit ſalina materies, quae in utroque lactis et ſanguinis ſero eminet, ſaccharina quidem in illo (330.); at quam in hoc alcali fixum foſſile nudum, una cum ſale communi (344.), continere nupera Gallorum ROUELLE et BUCQUET experimenta docuerunt, Vid. M. MACQUER Diction. de Chimie, edit II. tit. Sang.

347. Unde tandem conſtat, quid de natura et ortu globulorum, quos microſcopium in maſſa ſanguinea detegit, ſentiendum ſit. Rubrae hi portioni proprii non ſane ſunt, niſi oleum, quod cum aquoſo latice permiſtum ſubactumque, pro mutuo inter has materias diſſidio, ſeſe in ſphaerulas colligit, interfluente ſero aquoſo ſeparatas et, ne confluere queant, impeditas. Inde in lacte etiam viſuntur, et qualicunque oleo cum aqua agitato produci facile poſſunt *): nec

*) Nolim tamen ultra, quam par eſt, hanc ſimilitudinem trahi, tanquam ſi inferre liceat fore, ut globuli rubri, cum a ſero, remittente calore et motu, ſecedunt, ſimiliter ac moleculis olei cum aqua commiſti mora et quiete contingere ſolet, mutua attractione ſerum interfluens omne excutiant nudique per proximos contactus inter ſeſe confluant, ſphaerica figura evaneſcente. Vid. A. v. HALLER Elem. Phyſiolog. C. H. T. II. p. 52. Abſit! ut ſerum ſuo glutine gravidum cum aqua ſimplice confundatur: nec credendum nullam eſſe rubrae materiae cum ſeri glutine cohaeſionem; cum evidens ſit etiam poſt alteram ſeceſſionem (337.) in ipſa placenta tum fibram, tum ſeri partem, cum illa permiſtas et coacervatas eſſe 339. ad 342.).

nec torno mechanico opus eſt, ut rotundentur. Hinc et attentus videas molles eſſe, compreſſiles, elaſticos, figuram, cum in vaſculis premuntur, in oblongam mutare, cum a preſſione liberantur, prompte in globularem reſilire.

348. Nec obſtat, quae praedicatur, aequalis ſingulorum globulorum moles eademque diameter. Limitatae circulationis vires in infinitum usque diſcerpere nequeunt particulas olei, ferro etiam magis denſati (346.), certa vi inter ſe cohaerentes. Dabitur ergo meta, ultra quam progredi nefas. Cur autem rei, quae ipſa parum firmo talo nititur, rationem anxie quaeramus?

349. Diviſibiles porro eſſe in minores globulos, hosque ſeparatos dilutius rubere, vix dubium eſt. At ſenarium eſſe numerum globulorum minorum, ex quibus componuntur, in quos ſecedunt, incertum. Nihil autem minus credibile, quam iſta ſeceſſione rubrum in ſerum mutari, hujusve ſenos globulos inter ſe compactos globulum rubrum efficere. Repugnant experimenta (338. 341.) et diverſiſſima utriusque materiae natura (343. ad 347.). Unde et argumentatio, quae ex ſpecifico pondere

materiae rubrae majore, quam ſeri, pro hoc aſſerto ducitur, fallaciam involvit: ne memorem ſummam exactae penſurae difficultatem; quum pars craſſamenti rubra vix ſincera obtineri queat (342.) *).

350. Integrum ergo fuerit Phyſiologis, pro lubitu, id genus ſpeculationibus indulgere: at Pathologis nihil inde bonae frugis.

351. Ex data ſanguinis analyſi intelligere eſt, quibusnam vitiis obnoxius eſſe poſſit, ſive partes ejus ſingulae ſeorſum ſpectentur, ſive ut una junctae univerſam maſſam conſtituunt.

352. Veroſimile eſt dari certam aliquam trium ſanguinis partium (344.) proportionem mutuam, quae ſanitati perfectae maxime conveniat, *non tamen in omnibus eamdem, ſed ſingulorum naturae accommodatam.* Nec credendum tamen adeo hanc eſſe neceſſariam, ut quicunque

*) Praetereo libens, quae poſt LEEUWENHOECKIUM noſtrum alii ſubinde, maximeque nuper HEWSONUS, Anglus, in microſcopica ſanguinis analyſi novarunt; quia aeque incerta ſunt, nec verae utilitatis doctrinam pariunt. Confr. D. CALDANI Inſtit. Phyſiol. p. 59. not. a.

que ab ea recessus impune ferri nequeant. Quotidiana potius vel in sanissimis quoque videtur innoxie fieri posse mutatio. Quin et temperamentorum, sexuum, aetatum, vitae generum, etc. diversitas non eandem in omni homine ponit aut postulat. Vitium itaque demum fuerit, si major est recessus idemque a singulari sui hominis constitutione multum alienus. Conf. (155. 156. 192.).

353. Enormis seri abundantia aquam in sanguine auget: unde aquosa tenuitas (287.), morbique ex colluvie serosa oriundi.

354. Exsuperans fibra densitatem inducere debet, tenacitatem, immeabilitatem, lentum circuitum, obstructiones etc. Vid. (284. 285.).

355. Rubrae portionis excessus, cum phlogiston in sanguine abundans et ferro gravatum notet, quavis occasione nociva caloris augmenta, immodicas expansiones, inflammationes etc. creat.

356. Hi excessus tam moderati, ut sanitatis munia non turbent, utcunque explicant diversam sanguinis crasin, quae in diversis temperamentis occurrit. Prior enim (353.) Phlegmatico, alter (354.)

Melancholico, tertius (355.) Cholerico proprius videtur, Sanguineo nullus.

357. Majoris momenti vitia ſunt, quae ad ſingularum ſanguinis partium qualitates pertinent: quamquam negari nequit, plura ſine dubio nos latere; quum Phyſiologia humorum multis etiamnum defectibus laboret.

358. In ſero quidem excedere aqua poteſt, ut juſto minus tardiusque igne concreſcat (338.): quod vitium ſimile prioribus (278. 353.) iisdem quoque cauſis naſcitur, eosdemque hinc effectus producit.

359. Eſt et ubi muci inertis copia in eodem creſcit: quo fit, ut reliqui humores inde ſecreti inviſcentur tenacitate expoſita (283.).

360. Vim concreſcendi quoque augeri in hoc latice frequens eſt, et eo quidem gradu, ut ſtagnans ac frigeſcens, ſponte, more fibrae (340.), coëat, inque hanc veluti mutatus dici poſſit, toto fere ſanguine in placentam concreſcente. Haec diatheſis inflammatoria, quam paulo poſt inter morbos fibrae ſanguinis exponemus (366).

361. Salinae materiae ſive propriae, ſive alienae, ſuperpondio ſerum praeci-

pue

pue inficitur: pollet enim et amica ſalibus aqua, et inviſcante muco, cumque iis, quae a foris in maſſam humorum ſubvehuntur, proximum alit commercium. Pleraque ideo acria primam heic ſedem figunt, naturalem ſeri colorem ut plurimum alienantia, hocque quaſi vehiculo per corporis partes ſeſe diffundunt (307. ad 317.).

362. Purpura ſanguinis (341.) juſto pallidior, loturae carnium ſimilis, ex defectu naſcitur materiae rubrae, compactione hujus minore, phlogiſto non ſat evoluto, aut per mucum, acidum, aliave peregrina immixta ſuppreſſo. Unde comitari ſolet vitia (283. 287. 307.), easdemque cauſas agnoſcit, nec diſpares effectus producit. Quandoque et corruptioni debetur. An et penuriae principii martialis (346.)?

363. Rubor floridior inducitur motu, attritu, attenuatione, permixtione cum ſero, nimiis. Hinc circulationem auctam, trajectum per pulmones frequentiorem, calorem intenſiorem, ſalinae materiae (310. 315. 316.) abundantiam, ſequitur. Eſt autem fere diſſolutior hic ſanguis, frigore tardius aut vix concreſcens, phlogiſto nimis evoluto

facile exardefcens, ad elapfum e vafculis, errores loci, phlogofes, proclivis.

364. Nigrefcens color oritur, fi terra exfuperat, aut infixo acido ftiptica eft, aut ubi crafin fanguinis corrumpunt aliena intermixta ex vitiato chylo, retentis excrementis, miafmate, contagio, veneno, tabo putrido, rancido, ulcerofo, gangraenofo, cancrofo, etc. intromiffis. Varium hinc acre comes eft, et major alias fpiffitudo, alias diffolutio: quae diverfitas proinde et multiplex malorum genus poft fe trahit.

365. Fibra fanguinis (340.) nifu ad concrefcendum minore peccat; quo fit, ut tardius aut vix tandem a fero fecedat, nullamque aut laxiorem jufto formet infulam, quae nec rubros globulos rite coactos fibique adunatos habeat. Fibrofae materiae paucitas, compactio minor, aquofa aut mucofa inundatio (283.287.), attenuatio nimia per motum, calorem, fales folventes, aliosve ftimulos aut fermenta (364.) corrumpentia, confumtio ob defectum neceffariae per alimenta reparationis, etc. id vitium producunt. Sanguis hinc diffolutior noxas infert (287. 288.).

366.

366. Contrarium fibrae vitium, nimia cohaerentia, aut ponit ſimpliciter auctam illius ad ſerum fluidum proportionem (354. 360.), tota hinc maſſa ſanguinis quandoque in grumum coëunte; aut vim concreſcendi intenſiorem, qua longe tenacior fit et velut lardi aemula fibrae concretio; ita ut corium denſum, cultro reſiſtens, rubrae materiae expers, albidum, flaveſcens, quandoque vireſcens, liveſcens, varia craſſitie, tandem innaſcatur ſummitati inſulae ſubtus modo rubrae, haecque etiam longe compactior, ora ob corii contractionem introrſum retorta, ſaepe in ſcutellam excavetur, circumfluente ſero tanto copioſiore, quanto magis illa ſeſe coarctat *). Haec cruſta phlogiſtica, inflammatoria, cori-

*) Recte quidem D. HEWSON Philoſoph. Transact. Vol. LX. an. 1770. animadvertit, ſanguinem phlogiſticum vena ductum in pelvi tardius, quam ſanum, coagulari; et contra partem illius rubram citius in fundum pelvis ſubſidere, ſupernatante ſero: quae quidem praecipue obtinent, cum valde inflammatus eſt. Quo autem jure ex his inferat tantum abeſſe, ut fibra ſanguinis phlogiſtici ſit juſto coagulabilior, ut etiam contra magis attenuata videatur, haud ſatis intelligo.

corium pleuriticum audit. Quum vero et fibrae ablutae (340.), et ſero igne concreto (338.), ſimillima ſit materies; liquidoque appareat plaſticum niſum ad concreſcendum, qui in ſero et fibra ſanis datur, naturae actuoſae C. H. effectum eſſe, graduque tantum differre ab illo cruſtae phlogiſticae; immo hanc ipſam non tam conſtanter in vitio eſſe, ut non in gravidis etiam ſaniſſimis plerumque aliquo gradu occurrat; utique credibile fit, eam naſci, cum fibra in ſyſtemate circulationis ultra modum ſanitatis denſatur, ſerique portio major, totusve latex, continuata denſatione, in fibram convertitur ſponte, ſtatim, nullo caloris augmento, concreſcentem (360.). Ut adeo ad eam conſtituendam nec chylo ſanguinis, nec pinguedine, nec muco arteriarum, ſuccis multum diverſis, opus eſſe videatur; nec ſola etiam aquae diſſipatio ſemper ſufficere. Docet certe obſervatio, iisdem potentiis, quae ſanam ſanguini fibram ingenerant, quoque modo intenſioribus id vitium induci. Auctior hinc circulatio, motus febriles, aeſtus, vaſorum conſtrictio, compreſſio, exercitia corporis nimia, terreorum, adſtringentium, calefa-

lefacientium, ſpirituoſorum, abuſus et ſimilia, quotidianae hujus denſitatis cauſae fiunt; maxime ſi diatheſis phlogiſtica in ſyſtemate circulationis, ut ſeminium (75.), inſidet, quae in nonnullis hominibus tanta eſt, ut quavis fere occaſione, etiam ſanis, ductus ſanguis corium illud oſtendat. Mala autem, quae inde oriuntur, plurima ex dictis (285. 354.) patent; ſi addideris, refractarium hoc gluten, aquoſis vix, niſi putreſcendo, ſolubile, comite plerumque febre circumactum, calore etiam magis compingi, anaſtomoſi vel diapedeſi (103. 2.3.) ex vaſis ſuis transſudans conſolidari, nec niſi corruptum denique reſolvi (365.), hinc naturae viribus aegre domabile reddi.

367. His vero (352. ad 367.) rite intellectis, haud difficile eſt rationem invenire reliquarum affectionum, quibus maſſae circulantis qualitates pervertuntur, quousque revera obtinent ac fructuoſe indagari poſſunt; denſitatis puta, gravitatis, elaſticitatis, diviſibilitatis, etc. ultra modum auctae aut imminutae. Et multae forſan aliae heic dantur aberrationes, quas tamen cum conjectura modo aſſequamur, non eſt, cur nos morentur.

Succo-

Succorum Secretorum Vitia.

368. Ex uno ſanguine per univerſum corpus diſtributo multos in diverſis partibus ſuccos artificio admirabili ſecedere, ſingulosque, ut natura et inter ſeſe et a ſanguine differunt, ita diverſis quoque oeconomiae humanae uſibus deſtinatos eſſe, Phyſiologia demonſtrat, etiamſi modum, quo ſua cuique craſis peculiaris conſtituatur, haud plene aſſequitur.

369. Igitur et communia quidem ex communi fonte, unde dimanant, vitia trahent, quae tamen pro diſcrepante cujusvis indole aliquid ſingulare habeant, aliaque et alia mala inferant; et privata quoque jam ſecretis evenire poterunt, quae non admodum in aliis occurrant. Merentur adeo ſpeciatim expendi.

370. Humores aqueo-ſalini, quo lympham nec ſponte, nec calore majore concreſcentem, atque hinc ſecreta menſtrua primae digeſtionis, tum excrementa aquoſa, lotium etc. refero, praeter tenuitatem (287.), ſpiſſitudinem mucoſam (283.), et varias acritates (307. ad 317.), hoc ſingulare prae ceteris habent, ut nimis facile terreas ſuas moleculas, inter-

terventu ſalis per aquam ſolutas, ſecedere ſinant, hisque data opportunitate adunatis calculoſa concrementa, multimodis nociva, deponant (320.): de quo vitio etiam poſt dicenda (566. et ſeq.) conferantur.

371. Succus gaſtricus, communibus qualitatibus ad hoc ipſum genus merito referendus, mirifica tamen cibos ingeſtos digerendi facultate, ſibi prae ceteris propria, longe praecellens, hoc quidem intuitu privas ſibi dyſcraſias pati poſſe videtur, naturali digeſtionis gaſtricae ordini diverſimode obfuturas: de quibus vero nihildum certi pronunciare licet; quia ſingulare iſtius virtutis ingenium operandique modum ignoramus *).

370.

*) Merentur in hanc rem legi experimenta ED. STEVENS, Angli, Diſſ. de Aliment. Concoct. Edinb. 1777. enarrata, quibus inſignis illa vis menſtrua liquoris gaſtrici non modo demonſtratur; ſed pateſcit inſuper, non aequipollentem eſſe in omni animantium genere; at veluti electivam et diverſitati alimentorum cuique convenientium adaptatam; ut quae in carnivoris carnes ſolummodo, nec vegetabilia, in herbivoris ruminantibus haec, non illas, in homine autem utrisque veſcente digerere, utraque

372. Bilis, humor in officina primae digeſtionis valde momentoſus, ob ſingulares, quos in ea praeſtare debet, uſus ſingulari etiam mixtione ac ingenio praeditus *), nec parem ſibi alium in oeconomia

que valeat. *Pluribus quoque et ingenioſiſſimis experimentis inſtitutis gaſtrici ſucci naturam, actionem, vim adeo medicatam illuſtrarunt Clmi viri* SPALANZANIVS, CARMINATVS, *alii.*

*) Recentiorum induſtria detexit, bilem cyſticam, ad inſtar lactis et ſanguinis (345.), triplici ex materia eſſe compoſitam; ſero aqueo, non concreſcibili, ſale cibario et alcali foſſili gravido; oleo dein animali, quod affuſo acido excuſſum, inflammabile, in reſinae formam denſatur omnemque bilis colorem continet; denique coagulo albido, quod naturam caſei (303.), aut fibrae (345.) monſtrat, putreſcibile, in cornu denſabile, nec aqua, nec vini ſpiritu ſolubile. Vid. D. RAMSAI Diſſert. Med. de Bile, Edinb. 1757. et D. CADET in Monum. Acad. Reg. Pariſ. an. 1767. Eſt autem iſtarum materierum in bile mixtio cohaeſioque tam aequabilis et intima, ut ſpontaneo niſu nequaquam ſecedant, et ne tum quidem, cum bilis, diſſipata vi caloris aqua, in ſiccam fragilemque maſſam coacta eſt. Mirum vero, affuſo ad ſaturitatem usque acido promptam plenamque earum ſeparationem obtineri. Unde liquet ſaponis aemulam heic dari compoſitu-

nomia animali habens, parte sui quadam vere excrementitius privumque ideo sibi systema nactus, nec secundum natu-

situram; tametsi virtutem vere saponaceam in pinguibus cum aqua subigendis bilis nequaquam prodat: quod forte sali muriatico, quem continere modo dixi, tribuendum. *Infirmantur autem haec omnia magnopere experimentis* GOLDWITZ, *V. Clmi, quibus bilem lympha coagulabili, sero, inflammabili parte et animali terra effici adseruit. cf. ej. liber: Neue Versuche zu einer wahren Physiologie der Galle, Bamberg* 1785. *Inde quae de saponacea bilis natura et alcalescente cogitata sunt, dubia saltim admodum redduntur, repetitis* GOLDWITZII *experimentis aliisque huc facientibus institutis, expedienda magis, uti et ea, quae de bilis actione idem vir Cl. protulit, quod fermentationem in chymo juuet, acescentem in spirituosam mutet, acidos sales obtundat, olea, mixtione eorum naturali mutata, propria vi, nulloque intercedente auxilio alio, in cremorem, ex quo chylus constituitur, mutet.*

Uti vero acidum crasin bilis destruit; sic id ipsum vicissim ab illius alcali et oleo, tum absorptione, tum obvolutione, quam valentissime temperari perdomarique indubium est. Cogitanti igitur acida nobis et acescentia frequentissimo in usu esse; neque datum ventriculo ea corrigere; cum chymo autem per pylorum expulsa in duodeno bili occurrere, misceri; haud difficile est cognoscere, bilem, dum

naturam in circuitum univerſalem unquam, integra ſua mixtione, admiſſus, commercio autem aëris rerumque a foris ingeſtarum expoſitus, multis propterea

dum partes ſuas in chylo perficiendo agit, tantum non ſemper mixtionis ſuae diſſolutionem una pati, craſſamentum ejus cum alvina fece excerni, materiem fluidiorem, excolorem, natura bilis exutam, chylo permiſtam, in ſanguinem revehi, ideoque humoris utiliſſimi cum quotidiana fiat deſtructio, aſſiduam quoque regenerationem requiri. Atqui nec quemvis virium oeconomiae humanae gradum elaborandae bili bonae ſufficere, ejusdem in foetu inertia et non, niſi paullatim, cum ipſo corporis robore increſcens vigor perfectioque indicant. Quam igitur difficile fuerit, funditus exhauſtam inſtaurare, aut prorſus effoetam intimeve corruptam redintegrare? ſuo id taedio atque dolore perſpicaces practici experiuntur. Contra facilius eſt abundantiam ejus minuere: modo ne quid nimis! Conferre acida πικροχόλοισι HIPPOCRATES dudum docuit, analyſis chemica hodie demonſtrat. Conf. praeprimis G. G. TEN HAAF Spec. Chem. inaugur. de Bile Cyſtica. L. B. 1772. et D. WILLINK Spec. Medic. Bilis Phyſiologiam et Pathologiam exhibens. L. B. 1778. ubi per experimenta oſtenditur, acida vegetabilia ſimiliter, atque foſſilia, ſeſe in perturbanda bilis mixtione praeſtare.

pterea magnisque vitiis patet, quae non functiones modo primarum viarum ceterasque dein cunctas, naturales dictas, turbare; ſed conſenſione etiam in reliqua omnia univerſi corporis ſyſtemata diverſimode graſſari ſolent. Inde diaetae erroribus bilis non raro nativum amarorem coloremque amittit, nimisque aquea, fatua, pallida, velut in vappam inertem degenerat (287.); alias in gluten piceamve amurcam ſpiſſatur (283. 329.) aut putrorem (327.), rancorem (328.), contrahit. Praeſertim vero alienis ſalibus imbuta, aut ſtagnatione, aeſtu, motu vehemente aut inordinato tum corporis, tum animi, corrupta, diverſas contrahit acrimoniae ſpecies gradusque, et his conſentaneas colorum mutationes, flavedine nativa in vitellinum, porraceum, aeruginoſum, iſatoden, atrum denique colorem abeunte. Unde totidem vitiatae bilis ſpecies, una cum ſuis effectibus, a veteribus ſedulo notatae, enaſcuntur. Eſt et memorabilis ejusdem ad lapideſcendum proclivitas, qua priores ſuccos (370.) etiam longe ſuperat, *a mora ex parte in veſicula ſua et in anfractuoſis hepatis viis, ex parte forſan inde explicanda, quod ab acidis quibuscunque, au-*

N *ſteris*

ſteris maxime, praecipitetur coeatque, eo ſane major, quo turbata magis viſcerum abdominalium actio. Nulla ſane corporis parte tam frequens calculorum generatio, quam in officina viisque bilis, obſervatur*). Facit autem multifaria ejus degeneratio, et alienorum, quibus occurrens concorporari poteſt, partiumque, in quibus concretio fit, diverſitas, ut innumerae id genus lapillorum diſſimilitudines ſeſe offerant, quas difficile fuerit certos in ordines diſtribuere.

373. Succus mucoſus **), ingente copia, nec minore commodo et neceſſitate per partes corporis diffuſus, praeter com-

*) Calculos felleos humanos ſeptuplo frequentiores eſſe, quam qui veſicam urinariam infeſtant, HALLERUS aeſtimat Opuſcul. Patholog. et Elem. Phyſiol. T. VI. L. XXIII. p. 564. Ibidem quoque invenias ingentem illorum varietatem exemplis comprobatam.

**) Quem hoc loco inter ſuccos ſecretos conſidero, mucum nolim confundi cum mucoſa illa natura, quam ſupra (278.) retuli inter materias, quarum mixtione humores noſtri univerſim conſtant. Tametſi enim haec ipſa ſuo lentore, tenacitate, lubrica adhaeſione atque blanditie, in muco etiam clarius ſeſe prodat; videtur ea tamen cum ex communi humo-

communia conſiſtentiae vitia (282.286.), *copiamque praeter naturae ordinem auctam aut minutam*, tum naturali ſuo lentore, tum ſtagnatione, acrimoniis maxime patet, quae ejus glutine ſemel inviſcatae difficillime extergentur; quamvis ſuapte natura vix corruptionem ſubeat. Unde, quas veteres memorant, pituita dulcis, ſalſa, acida, vitrea Praxagorae, quae cum in tranſitu per inteſtina et ſub ipſa excretione diros dolores ac tormina, cum ſenſu frigoris, inferat, utique acribus annumeranda, forſan acerbitate acido auſtera (306. 326.) peccat; quin et gypſea

 plu-

morum maſſa in organis ſuis ſecretoriis ſecedit, inque ſingularem humorem formatur, notabiliter mutari, ut ſuis uſibus aptetur. Renuit jam mucus aqua ſolvi, qua tamen copioſiſſima dilui poterat, cum ſeri ſanguinis partem conficiebat. Nec ideo dixeris aquae inimicum, cujus etiam XIX viceſimas partes diſtillando fundit. Et omnino credibile eſt haud parvam fibrae ſanguinis (340.) portionem in muco ineſſe. Haec autem, ne plura commemorem, ſatis oſtendunt muci animalis a gummi vegetabili diſſimilitudinem. vid. S. SZEGEDI DE PESTH. Diſſertat. Phyſiologiam et Pathologiam muci exhibens, edita Traj. ad Rhen. 1772.

plure terra onuſta (320.), hinc calculoſis concretionibus obnoxia, intelliguntur. Nec infrequens eſt, virus contagioſum in muco nidulari, taboque ſic multiplicato ſolidis infeſtum, late ſerpere.

374. De ſuccis pinguibus idem dicendum; ut qui natura quoque lenti, inque laxa celluloſae tela reſtagnantes, nec aquoſo humore ſolubiles, quae ſemel ſuſcepere, heterogenea, acria, virulenta, tenaciter ſibi illigant, menſtruorum et circulationis viribus ſubducunt, fovent, et ſuppeditato velut pabulo augent aegerrime extricanda.

375. Propria pinguedini corruptio, rancor (328.), heic maxime notabilis; quum ſemel ſuſceptus vix emendari queat, ac virtute quaſi fermentali ſeſe propagans, peſſima acrimonia, quaecunque tangit, rodens urensque, vel ipſis etiam oſſibus cariem inferat. Ingeſta (328.), humorum putredo (312.), intenſior circulatio et calor, ſtagnatio, contagia et venena ſeptica, hoc malum inducunt.

376. Naſcuntur in pingui quoque conſiſtentiae vitia. Etenim ſecundum naturam non mero oleo, ſed aliqua etiam parte mucoſae materiae (278.) conſtat. Hujus igitur ſi proportio ſuis ex cau-

caufis (283.) ultra modum augetur, liquidior jufto adeps cellulofam tumore inerte, non elaftico, diftendit, eademque aquae magis amica hanc ex humoribus praeterfluentibus attrahit, retinet, fic leucophlegmatiam, hydropem ανα σαρκα, oedema, etc. producit. Abit et contra in fevum aequo durius, cum exfuperante terra, hacve acore auftero ftiptica (284. 320. 326. 373.), infarcitur. Unde panniculi adipofi indurationes, fteatomata, tubercula, mole, forma, duritie, degeneratione, multum diverfa.

377. Ex his utcunque intelligi poffunt morbofae affectiones fuccorum, qui ex pinguedinis ac muci, aliorumve humorum magis aquoforum confluxione nati, diverfi generis linimenta, unguina, molliendis, lubricandis et defendendis partibus firmis dicata, conftituunt *). Reducuntur quippe ad fpiffum, tenue, acre denique varium.

378. Inter fuccos nutritioni deftinatos, praeter chylum, lac, fanguinisque fe-

 rum

*) Vid. H. BOERHAAVE epiftola ad FRED. RUYSCHIUM in Opufculo Anatomico de fabrica glandularum in corpore humano.

rum et fibram, quorum de vitiis ſupra (323. 330. 353. 358. et ſeq.) diximus, Gelatina firmas partes nutriens, ex ſuccis ſecundae coctionis, continuata naturae virium opera, artificio inexplicabili, porro mutatis, tandem naſcens, vi ebullientis aquae ex ſolidae compaginis parte quacunque dura, molli, elicienda, hinc per univerſum corpus diffuſa, generalibus humorum vitiis (269 et ſeq.) pariter obnoxia eſt (338.): aut enim abundante aqua nimis diluitur (287.), aut obruitur inertis muci copia (283. 329.), aut varia inficitur acrimonia (289.). Unde replendo magis infirmat, quam roborat, aut rodendo etiam deſtruit duplexque genus cachexiae tumidae, aut tabidae infert. Salino-terreum heic abundans, ſeceſſione nimis facili (320.), incruſtationes partium atque indurationes calculoſas, oſſeas, producit.

379. Conſtat inſuper gelatinas, prout ex diverſis ſolidis, duris, tenacibus, mollibus, aut teneris, coctura acquiruntur, conſimili fere cohaerentiae gradu inter ſe differre, atque adeo ex diverſae etiam mixtionis moleculis (138.) compoſitas eſſe. Unde colligas nec naturam ejusdem mixtionis corpuſcula quibuslibet

par-

partibus organicis nutriendis promiſcue adhibere; ſed alia oſſi, alia cartilagini, tendini, carni etc. ſua cuique congrua. Gelatina igitur cum tale ſit promtuarium, ex quo pars quaelibet materiem ſibi ſimilem proximeque concorporandam, ſuum, quod olim dixere, cambium hauriat, ſine quo deficere vitiarive nutritionem neceſſe ſit; liquet hoc intuitu alias etiam affectiones in ea naſci poſſe, a prioribus (378.) utique diſtinctas, quae praeſertim ad ſingulares partium tribus pertineant. Inopia, exſuperantia cujusdam ordinis corpuſculorum ſimilium privare, aut ſuperſaturare partem proprio cambio, aliamve alieno pervertere poteſt. Docent prae ceteris oſſium morbi horumque curationes in gravidis, rhachiticis etc. Adde, quae ſolus nutrimenti ex ſe boni error inferre mala poteſt, poſtea ſuo loco (404.) exponenda.

380. Liquor genitalis, ſin moleculis organicis animatis, at virtute perquam ſingularis, an, praeter communes affectiones, privam ſibi contrahit acrimoniam, qua ſalacitatem inducat? An inertiam, ſterilitatis matrem? An ſuo modo degenerans monſtra parit? In re ob-

ſcura nihil pronunciandum, donec plenior lux ex Phyſiologia affulſerit.

381. Eadem circumſpectio praeterire etiam jubet, quaecunque de vitiis fluidi vitalis (187.), aut nervei, proferri ſolent; quum conjecturis tantum nixa, nec ſolidam Pathologo ſcientiam pariant, nec certum in praxi uſum praeſtent.

382. Et hae quidem ex plurimis paucae ſunt ſingularium humorum vitioſitates morboſae, quas utcunque cognoſcere datur. Credibile eſt innumeras ſupereſſe nunquam plene detegendas; maxime ſi quae in ſingulo quovis homine, pro ἰδιοσυγκρασίας diverſitate, quilibet humor propria ſibi, in ſimili humore alterius hominis non adeo reperiunda, etiam in ſtatu ſano, habere poſſit, ſpectaveris, certus, non omnem corporum humanorum diſcrepantiam Medicam ſola partium firmarum pro ſuis dotibus diſſimilitudine abſolvi, ſed fluida quoque ſuam una ſymbolam conferre. Quum tamen haud aliter nobis innoteſcant, niſi ſingularium quorumdam effectuum apparitione, quorum veras cauſas in tanta poſſibilium multitudine aſſignare non licet; tacere ſatius fuerit, quam, quae ſcien-

ſcientia comprehendi nequeunt, conjecturis proſequi.

Morbi humorum relativi.

383. PRAECIPUUM oeconomiae humanae fundamentum in mutua ſolidi fluidique actione, ſuis limitata legibus, poſitum eſſe Phyſiologia demonſtrat. Datur ergo in ſanitate harmonica quaedam inter duo agentia proportio, qua, ne alterum alteri enormiter praevaleat, caveatur. Docet etiam ipſa humorum multiplex diverſitas et non promiſcua ſingulorum diſtributio, non quemvis cuivis aut parti, aut uſui, appropriatum eſſe. Itaque, tametſi craſis vitio careant, peccare tamen et copia, et loco, et motu ita poſſunt, ut perturbatis inde ſolidorum muniis functionum integritas laedatur (266.) Quia vero morborum, qui ex hoc fonte oriuntur, idea neceſſariam ad ſolida relationem includit (268.), haud immerito relativi dicuntur.

Quantitas humorum vitiata.

384. PROPORTIO laudabilis fluidorum ad partes firmas non tam exacte ad pon-

dus determinata eſt, ut quivis exceſſus aut defectus morbum inferat. Latitudo ſanitatis, quae aetates, ſexus, temperamenta, comprehendit, his conſentaneas quoque utriusque materiae proportiones, etſi multum diſcrepantes, includit. Nec aliter ſuam poterat adverſus perpetuas ambientium viciſſitudines (6.) tueri conſtantiam ſanitas. Maximum igitur, et minimum, quod heic impune fertur, difficulter diſcernas. Hoc minus, illo majus, illatis noxis ſe prodit.

385. Quodſi univerſa humorum maſſa, qualitatis vitio ceterum carens, comparate ad firmas partes, ultra modum exſuperat, ut turgens oneri ſit turbetque functiones, haec πολυχυμία dici poteſt: uti contra nimia imminutio ὀλιγοχυμία. Utriusque ideam dat ſtatus infantiae ac ſenii naturalis. Unde etiam effectus intelliguntur. Originem autem declarat alienata ingeſtorum et egeſtorum ratio.

386. Intemperies humida, potius ad cacochymias referenda (287. 353. 358.), ponit aquoſi laticis copiam fluida ac ſolida inundantem, hinc immodicam aquae in ſero, hujusque ad craſſamentum ſanguinis, proportionem. Cauſae ideo ef-

fectus-

fectusque ejus ex locis citatis facile intelliguntur. Quin et oppositi vitii, intemperiei siccae, idea hinc clarescit.

387. Notari praecipue hoc loco meretur Plethora, plenitudo, multitudo, quae dicitur boni sanguinis ea abundantia, quam systema circulationis absque periculo sanitatis diu ferre nequeat. Dari id genus superpondii ut omni tempore docuit observatio, ita ex rite intellecto humorum circuitu manifeste sequitur. Nec certe audiendi, qui rem tanti momenti ficulneis argumentis explodere vani aggrediuntur. Quum vero vitium proportionis sit, haecque diversimode spectari queat, diversas quoque in species id partiri licet.

388. Habetur hinc primo Plethora ad molem, quae et vera dicitur et absoluta, ponitque molem sanguinis reapse ita exuberantem, ut partibus continentibus prae nimia distensione incommodet. Haec proprie πολυαιμία, veterum Plethora ad vasa. Cum in temperamenta incidit mollioris habitus, hic sanguine undequaque perfusus intense rubet ac turget: in strictioribus contra corporibus vasa majora magis distenduntur, venaeque prae arteriis laxiores magis-

gisque foris conſpicuae ultra modum tumeſcunt. Unde recentiorum Plethora ad habitum et ad vaſa vel venas intelligitur. Eam inducit vigor ſanitatis ſub vitae genere lautiore, otioſo, ſecuro, quo robuſta viſcera plus generant chyli ſanguinisque laudabilis, quam nutritio ac excretiones neceſſariae ſibi poſtulant.

389. Huic affinis altera Plethora ad ſpatium dicenda, quia ex imminuta ſyſtematis circulatorii capacitate oritur, quantitate ſanguinis haud pariter imminuta. Nimirum nec mole, nec volumine, auctus ſanguis modum tamen excedit, ſi, quo contineri debet, ſpatium contrahitur. Reſpectivam ideo vocant, ut cujus origo tota debeatur firmis partibus, aut nimium conſtrictis (195. 209, 5.) in terrore, acceſſu febrili, frigore magno, ſubito, etc. aut his ipſis rigiditate (164), exſiccatione, obſtipatione, coalitu (209. 2. 6.), non cedentibus, imperviis, aut denique mutilatis.

390. Eſt et Plenitudo ad volumen, apparens quoque et ſpuria dicta, quae aucto rarefacti ſanguinis volumine molem veluti auctam mentitur; quanquam hujus nulla eſt exſuperantia. Quum enim capacitas canalium haud eodem gra-

gradu una dilatetur; expanſus humor, quo antea modice repleti fuerant, majus ſpatium affectando haud aliter, quam vera Plethora (388.), eos turgefacit. Ingens calor ab aëre, foco, balneo, cibis, potibus, medicamentis, venenis, febribus ardentibus, inflammatoriis, exercitatione, animi pathemate, frictione, etc. in corpore concitatus, magna et ſubita preſſionis atmoſphaerae imminutio, motus inteſtini humorum ob aliena intermiſta ſingulares, etc. huic vitio anſam dare ſolent. Certius autem naſcitur, ſicubi et irritabilitas (190.) acceſſerit, aut ſeminium dederit ſanguinis dyſcraſia ad rareſcendum pronior (356. 364), aut liquatae pinguedinis, quam calor valde expandit, copia in maſſam circulantem recepta.

391. Conſtare hinc poteſt, quid de Plethora ad vires, veteribus memorata, ſentiendum? Male hanc neotericorum nonnulli, ut fictam, explodunt; cum reapſe, et multiplici quidem ſpecie notabilis, occurrat. Dicatur ergo ea ſanguinis abundantia, cui ferendae regundaeque vires naturae non ſufficiant, hinc onere gravatae opprimantur. Plenitudo quaevis (388. 389. 390.) ad ſummum pro-

progreſſa, nec mature levata, etiam in robuſtis, ſarcina demum fit viribus major, quae ſpontaneam laſſitudinem, ad motus torporem, ſenſumque gravitatis inducat. In debilibus (159.) exiguum quoque ſanguinis ſuperpondium, valentiori facile tolerandum, ſuperatis canalium viribus incommodat, et congeſtione, oppletione, eruptione, gravat (203. 204.). Naturis irritabilibus (190.) levis humorum exceſſus pro ſtimulo eſt, cujus dum ſentiunt moleſtiam, in motus inordinatos ruunt, ut amoliantur, et ſemet ipſas, prodactis incaſſum viribus, fatigant. Conſuetudo denique mittendi ſanguinis, naturalis, aut arte inducta, uti reparandae jacturae ſtudium naturae indit, ita reparatae creat intolerantiam, cui moles, aliter haud gravatura, oneri eſt. An igitur Plethora ad vires non datur?

392. Manifeſtum quoque eſt, poſſe plures Plenitudinis ſpecies (388 - 391.) una complicari, hisque inſuper adjungi vitiatas humorum qualitates. Unde nonnullorum Euchyma et Cacochyma Plethora intelligitur. Commotam vero vocant, quae turgens noxas infert, graviores que minatur, naturae viribus aut

oppreſ-

oppreſſis, aut in motus enormes perverſosque concitatis (391.).

393. Inopia boni ſanguinis, quae merum defectum, non item dyſcraſiam, ponit, vix niſi ſubita, enormi, evacuatione naſcitur, citoque mortem infert; aut, ſi prompta refectione non tollitur, diu durare non poteſt, quin vitium qualitatis ex proſtrato functionum vigore accedat. Hoc et illi jungitur, quam inedia creat. Tardiores humorum jacturae, etiam longa duratione praegrandes, ne κενεαγγείαν inducant, accommodata partium contractione (209. 5.) natura cavet. Morbo ſuperato exhauſtis appoſita nutritio cito ſuccurrit; alioqui in cacochymiam inclinant.

394. Obeſitas huius etiam loci eſt, nec tamen cum plethora, quam etſi ſaepe comitatur aut ſequitur, macilenti tamen et colligere ſolent, confundenda. Notat autem ſanae pinguedinis, partibus interfuſae, exceſſum, qui functionibus obſtat. Sanitas quidem proportiones multum diverſas hujus ſucci absque notabili impedimento fert: at ſarcina tamen graviore, ſubito aucta, haud minus, quam multo ſanguine, opprimitur. Iisdem vero cauſis fere naſcitur, quibus

ple-

plethora (388.), huicque aut ſupervenit, aut ſubſtituitur; cum ex pleniore victu multum quotidie laudabilis chyli in vaſa defertur, qui vegeta circulatione nec diſſipari, nec in ſanguinem converti, nec nutritioni impendi omnis poſſit, hinc ſuum cremorem per interſtitia partium in laxam celluloſam deponat. Unde mollior corporis habitus, aetas infantilis et media, ſexus ſequior, eo inclinant *). Materiem ſubminiſtrat chylus blandus, multo abundans pingui, eodemque facile ſecedente (331.). Eluceſcit hinc, cur partes ſingulares nonnunquam prae aliis hac multitudine graventur?

395.

*) Nicomacho Smyrnaeo, quem arte Aeſculapii ab immani adipis ſuae ſarcina liberatum fuiſſe GALENVS refert, par aliud, et forte majus obeſitatis exemplum Anglia noſtris temporibus edidit in EDW. BRIGHT, qui modo XXIX annos natus, ſtatura fere ſenipedali, ventris peripheria prope ſeptempedali, accumulato pingui ita ſuffuſus, ut DCIX pondo nudus eſſet, triceſimum vitae annum non complevit. Fertur autem nulli unquam diaetae vitio deditus fuiſſe, ſed familia ortus ad obeſitatem proclivi. An ergo et ſeminium hujus exceſſus gentilitium datur? Vid. Philoſ. Transact. Vol. XLVII. pag. 188.

395. Defectus adipis, macies, vix eo gradu nafcitur, ut morbofa dici poffit, quin aliae una fubfint affectiones, unde ut fymptoma pendet, aut quarum confortio demum nociva redditur. Humorum acrimonia certe ut faepiffime ipfa emaciat, ita comitem fe facile jungit; five inopia chyli blandi, oleofi, five immodica evacuatio, aut quovis modo facta diffipatio pinguedinem confumat.

396. Reliquorum fuccorum excedens deficiensve copia vel ad cacochymias, variis locis ante expofitas, pertinet, vel inter caufas morborum aut fymptomata aptiorem locum invenit.

Fluida loco aberrantia.

397. QUANQUAM humorum non adeo ftabilis eft in corpore humano, ut partium firmarum, fitus, nec certa femper, qua morantur, fedes; habent tamen et fuos fibi a natura conftitutos canales, loculos, receptacula, cava, quibus, tanquam cancellis, contineantur, vehantur, nec egredi fine noxa poffint. Id quidem in fuccis fingularibus, iisque, qui in certis partibus collecti reftagnant, manifeftiffimum. At vero nec illi quo-

que excipiuntur, qui magis univerſales, non interrupto motu circumacti, toto corpore oberrant: neque enim perinde eſt ad ſanitatem, quo genere vaſorum aut cavitatum ſanguis, ſerum, lympha, etc. ferantur.

398. Ex hac igitur contentorum ad continentia relatione claſſis exſurgit morborum valde notabilium, qui, quod humores non ſuo, ſed alieno loco ſint, oeconomiam turbant, nec ideo male errores loci appellantur, variasque in ſpecies dividi poſſunt, quarum praecipuas nunc exponemus.

399. Error fluentium mihi dicitur, cum ſuccus corporis inquilinus, e ſuis in alienā vaſa delatus, haec praeter naturae ordinem permeat, tanquam ſi propria ſibi forent, nullo tamen ceterum obſtructionis, effuſionis, excretionisve vitio accedente. Evenit hoc multoties in ſyſtemate circulationis, ubi motu accelerato, aucto calore, rarefiunt humores, vaſa laxantur, ampliantur, ut craſſior ſanguinis pars, ultra, quam decet, propulſa, in vaſculis juſto minoribus, non ſuis, circumeat, errore quidem utplurimum innoxio, quandoque tamen et periculoſo. Stagnans in cellulоſa pingue,

gue, ſubito in vaſa raptum; bilis ſuos limites egreſſa, inque ſanguinem diffuſa; urina, materies perſpirabilis, etc. retenta, cum in maſſam circulantem regurgitant, exempla noxarum, quas id vitium infert, praebere poſſunt. Secretionum certe et circuitus humorum multifaria hinc perturbatio. An huc etiam retuleris materiae morboſae, alicubi ſtagnantis, receptionem in communes circuitus vias, aut ejusdem permanentem cum humoribus circulantibus mixtionem, quum evacuari vel in parte aliqua deponi debuiſſet? Documento ſunt morbi exanthematici materiales.

400. Errorem impactorum voco, quando liquor in canalem alienum delatus, nec permeare potens, impactus, cavitatem illius natura anguſtiorem obturat, ſibique et aliis deinceps appulſis tranſitum negat, vitio triplici aberrationis, ſtagnationis et obſtructionis (209. 1.) concurrente; quamvis ſi continentia et contenta in ſe ſeorſum ſpectes, vix admodum a ſtatu ſano mutata deprehendas. Naſcitur facile ex errore priore (399.), cum humor craſſior, in alienos protruſus canales, quorum ora affluxu violentiore ultra modum dilatantur, aut

diametri in progreſſu naturaliter decreſcunt, aut ſuperveniente ob nimiam diſtenſionem ſpaſmo (209. 5.) minuuntur, negato tandem per anguſtias tranſitu ſiſtitur. Ex quo fonte multiplex porro genus infarctuum, tumorum, metaſtaſium, exanthematum, inflammationum, etc. oriri poſſe haud difficulter perſpicitur.

401. Eſt et error excretorum memorandus, quo fit, ut humor in aliena vaſa propulſus, horum oſtiis elapſus, praeter naturam, e corpore ejiciatur. Ejus autem duae ſpecies ſunt. Vel enim materies utilis, hinc retinenda, ſuis e vaſculis aberrans, in canales excretorios devecta, tanquam recrementum, exturbatur, diſpendio ſaepe irreparabili. Chyli, ſanguinis, ſeri, lymphae, etc. excretiones per alvum, urinae vias, cutim etc. in variis alvi profluviis, diabete, mictu cruento, ſudatione nimia colliquante, id oſtendunt. Vel, quam natura excretioni deſtinavit, materies ad aliud, non ſuum, delata emunctorium expurgatur, errore quidem tolerabiliore; ut qui boni humoris jacturam non inferat; at ſuis tamen et noxis aliunde infeſto; quum non cuivis excremento quodlibet emiſ-

ſarium

ſarium indiſcriminatim conveniat. Bilis, urina, perſpirabile, fex alvina, ſanguis menſtruus, etc. ita quandoque aberrant.

402. Huc etiam referatur error effuſorum, varietate multiplici peccans, quem latiore ſenſu ἐκχύμωσιν dicere liceat. Nimirum ſuis e vaſis effuſa materies tum non e corpore elabitur; ſed partium interſtitiis recepta colligitur ac reſtagnat. Cujus quidem vitii permultae ſunt ſpecies et longe plura etiam mala, quibus oeconomiam infeſtant.

403. Differentiam facit varia vaſorum emittentium affectio, quae effluxui favet, ἀναςόμωσις, διαπήδησις, διαίςεσις, (203. 2. 3. 4. 206. 207.). Diſcrepant et cavitates recipientes, ut majores, minores, naturales, aut vi factae fuerint. Tela celluloſa, quae partium interſtitia undique replet, facile diſtendenda, frequens et commodum effuſis receptaculum praeſtat. Praecipue tamen notanda eſt materiae, quae effunditur, diverſitas; ut ex qua totidem differentes morborum ſpecies, aliis atque aliis ſymptomatibus ſtipatae, enaſcuntur.

1. Sanguinis e ſuis vaſis effuſi errorem videas in ſugillatione, aneuryſmate ſpurio, exanthematibus, inflammatoriis

tumoribus, haemorrhagiis internis, etc. Nec diu fertur haec ſtagnatio in humore tam mutabili, quin coagulo (336.), seceſſione (337.), ſuppuratione, putredine, craſis vitietur.

2. Cum lympha ſanguinis effuſa, in interſtitiis ſolidorum vi diſtendente factis, in membrana celluloſa habitus totius corporis, aut partium ſingularium, in cavis magnis parvisve, accumulatur; puſtulae, bullae, leucophlegmatia, hydrops ἀνα σάρκα, ὑπο σάρκα, abdominis, thoracis, capitis, ſcroti, *articulorum*, partium internarum, oedema etc. oriuntur.

3. Pingue, bilis, chylus, lotium ceterique ſucci ſecreti hunc ubi errorem patiuntur, alia atque alia mala inducunt.

4. Humor corruptus, pus, ichor, ſanies, materies morboſa, cruda, cocta, cum in cavitates aut interſtitia partium effunduntur, empyemata, abſceſſus, ſinus, fiſtulas, ulcera, gangraenas, metaſtaſes ſalutares, noxias, etc. inferunt.

5. Quin et aër communis, cum ſuos in corpore canales habeat, quos ſecundum naturam permeat; ſyſtema praeſertim ſpiritale pulmonum, totumque tractum primarum viarum; ſicubi vitio quodam ex illis evagandi occaſionem nactus

ctus recipitur in aliena corporis cava, aut in cellulosam; tumores aërii, elastici, oriuntur, plus minus, quandoque per universum habitum expansi. Inde empnevmatosis, emphysema, tympanias, etc.

Fieri etiam potest, ut latens in humoribus firmisque partibus aër, aut elasticum fluidum, aëri simile, cum contrectabili illarum materie concorporatum (147.*), quoquo modo exsolutum, recuperata elasticitate sua, seorsum sese in bullas congregans, locoque veluti errans, seu intra vasa cum succis, unde se expedivit, feratur, sive in cavitates aut interstitia partium effusum haereat, turbas et impedimenta in systemate vasculari, tumoresque expansione sua flatuosos, prioribus similes, quandoque dolentissimos, producat.

Contentus in canalibus aer, actione continentium superata, ea distendendo, vrgendo, grauiter afficit, concitata quoque in alia ejusdem canalis parte, vi vitali majore instructa, majore contractione, in alia vero, ad resistendum impari, majore distensione. Intestina in saturnina et flatulenta colica, tympania, meteorismo intestinalis tubi, alio loco distenta, alio contracta admodum, hujus affectionis exempla praebent.

404. An et errorem nutrimenti ſtatuere licet, ſicubi moleculae nutritiae alienis partibus, quarum diſſimilis eſt mixtio, apponuntur; ut juſta ſolidi conſiſtentia ac textura pervertatur, cute aut ſola epidermide in callum cornuve, carne muſculoſa in tendinem aut celluloſam, parte molli in cartilaginem, os, dentem, lapidem, aut oſſe retro in maſſam molliorem degenerante? Non deſunt utique permulta iſtius vitii exempla in hiſtoria medicinali. Supra (379.) autem oſtendi vix credi poſſe, ſingulas ſucci nutritii particulas ejusdem prorſus eſſe mixtionis, et, cujuscunque fuerint, quibuslibet ſolidis nutriendis indiſcriminatim quadrare (146. 147.). Nec conſtat naturae humanae datam eſſe poteſtatem, mutata elementorum proportione, mixtiones quasvis ex quibusvis pro lubitu fabricandi (138.). Quodſi igitur materies nutriens, ceterum ſana, errorem loci patitur, vitiata inde aſſimilatione, ſubſtantia partium mirifice alienari ea de cauſa poſſe videtur.

405. Denique et ſecretorum error haud infrequenter obtinet; at qui, cum priorum (399. ad 404.) modo effectus

ſit,

ſit, aut illorum aliquem pediſſequum habeat, ſingularem titulum vix meretur.

Motus vitia in humoribus.

406. CONSTAT humores noſtri corporis et inteſtino ſuarum molecularum, et progreſſivo totius maſſae motu ſecundum naturam cieri. Neutro carere ſanitas poteſt, quae tamen et moderatum utriusque gradum requirit, nec quosvis exceſſus defectusve, aut alienationes, impune ferre poteſt.

407. Inteſtinus, qui ad fluiditatem pertinet, hujus quoque auctae vel imminutae rationem ſequitur; hinc, quae patitur, vitia ad nimiam tenuitatem aut tenacitatem referre, atque ex dictis (271. et ſeq.) intelligere licet. Alias ejusdem ſpecies, quarum in mutanda humorum craſi major ac ſingularior ſit potentia, cum in ſanitate, tum in morbis, excitari, multiplices liquorum ex uno ſanguine naſcentium diſcrepantiae et plures etiam degenerationes haud obſcure innuere videntur. Et credibile quidem eſt alienorum, quae corpus ſubeunt, mixtionem cum humoribus, aut ſingulares in ſolidis vibrationes quacunque occaſio-

ne ortas, producendis id genus motibus multum conferre: at difficile fuerit peculiare cujusvis horum ingenium ac determinatas, unde ſinguli profluunt, cauſas harumque agendi modos explanare. Chemicorum fermenta, ſano ſenſu applicata, illuſtrant quidem, nec tamen ſolvunt quaeſtionem. Nec multo plus efficiunt, qui a variatis duntaxat ſolidorum motibus, per diverſos ſtimulos concitatis, omnem efficaciae hujus originem repetendam eſſe cenſent. Quando igitur utraque litigantium pars, pro ſua quaeque opinione, experimentorum et obſervationum fide concertat; quidni, ſi tamen aliquid ſtatuendum eſt, tum fermenta, tum ſtimulos admittamus, alias utraque junctim, alias aut hos, aut illa ſeorſum agentia?

408. Manifeſtior alter humorum motus (406.), quo per vaſa vecti locum mutant, trifariam vitiari poteſt, aucta nimirum, aut imminuta nimis velocitate, tum directione abnormi.

409. Motus major debetur intenſiori ſolidorum in fluida actioni. Hanc vero intendunt, quaecunque vel vires illorum motrices incitant, irritamenta multifaria (171. ad 181.), ſive directe in corpus, ſi-

ve

ve per mentem in corpus agentia; vel quae resistentias ab humorum mole, spissitate, adhaesione, aut a canalium rigiditate, angustia (209.) etc. objectas minuunt: cujusmodi plurima habentur. Nec minor numerus est effectuum, qui inde consequuntur, quique ob mirabilem oeconomiae humanae consensum suas vicissim causas saepe producunt, augent, multiplicant. Generaliorum praecipui sunt solidorum a fluidis nimio impetu actis major irritatio, agitatio; hinc attritus validior; caloris augmentum; rarefactio humorum; subtiliorum dissipatio; crassamenti inspissatio; resolutio putris; blandiorum acritas; acrium exacerbatio; canalium expansio, ruptura; humorum aberratio omnigena (399. ad 405.), et, quae porro ex his sequi possunt, innumera acuti praesertim generis mala. Utitur tamen et natura quam frequentissime hoc ipso excessu, ut remedio efficace, quo cruda subigat, noxia corrigat, expellat, acria mitiget, stagnantia moveat, coacta solvat, obstructa reseret, aliaque plurima in corporis sui salutem moliatur (99.).

410. Ex oppositis causis nascens humorum tarditas hinc intelligitur, quae

cum,

cum, decrescente per varios gradus solidorum ac fluidorum mutua actione, ad quietem tendat, ipsa vi vitali torpente (196. 198. 5.), functionibus omnibus languorem inducit, multas suspendit aut plane delet. Unde morborum chronicorum origo multiplex, intractabile ingenium et difficillima ob prostratas naturae vires sanatio.

411. In statu sano quaelibet corporis pars suum accipit humorum demensum, sive massae spectes copiam, sive motus, quo fluit, quantitatem. Nec moles adeo partium hanc portionem determinat, sed naturae functionisque, cui destinantur, diversitas. Itaque tametsi levior quilibet excessus defectusve haud illico laedit *); gravior tamen diuque durans noxas parit

*) Consideranti insignes numerosasque mutationes, quas corpus humanum inde ab ortu per varias vitae periodos, in utero, partu, posteaque crescens, perstans, decrescens, secundum ordinarias naturae suae leges subit in organis suis, in oeconomia suarum functionum, in sexus utriusque muniis etc. satis manifestum est, distributionem humorum circumeuntium, etiam in prospera valetudine, non posse uno tenore permanere, variari continue necessario, ferrique

rit. Nimius certe affluxus impulſu enormi aut vaſa partis irritat, in motus fortiores ciet (170. 195.): unde attritus, calor, transfluxus intenſior, attractio novi humoris uberior, revulſio ab aliis partibus, harum depletio, collapſus, hujusque conſecutiones: aut vim parietibus inſuperabilem infert: unde dilatatio, ἀναςόμωσις, διαπήδησις, διαίρεσις, (203.) et quae ex his ſequuntur, infinita (207.). His contraria mala deficiens influxio producit. Nec difficile eſt ex dictis (409.) generales utriusque immoderationis cauſas eruere; ut quae in perverſa virium motricium et reſiſtentiarum ratione potiſſimum quaeri debeant; ita tamen, ut illarum ἐνέργεια non mere mechanice, ſed qualem ſeſe in corpore organico vi-

vi

que id genus deflexiones impune, quia conſecutiones ſunt ſtatus naturalis, ſenſimque ſine ſenſu ſubrepentes aſſuetudine conciliantur, et ſicubi forte major aliqua ſubitoque invadit, irritatis naturae viribus molliri poteſt. Taceo, quae ex immenſa rerum non naturalium diverſitate uſuque vario et abuſu quotidie profluunt, fortuitas quidem, nec ſemper tamen evitabiles, motuum abnormium cauſas, quae ſi continuo laederent, perpetuo aegrotaremus.

vi hominis manifeſtat, conſideretur (99. 169 et ſeq.).

α. Intereſt quoque Medici, hanc affectionem recte curaturi, primam cauſae originem ſedemque et propriam naturam curioſe inveſtigare: nec enim ſemper in parte infarcta ineſt; nec raro in depleta; quandoque nec in hac, nec in illa, ſed in alia conſentiente; in cerebro etiam, et vel in ipſo animo praeſertim perturbato. Variat hinc etiam mutua partium oppoſite affectarum actio et paſſio pro diverſa cauſae ſede ac indole: cum pars ſtimulo admoto irritata, humore ex alia parte attracto ſeſe turgefacit; illa agit, haec patitur: contra ſi pars ſpaſmo conſtricta ſuos humores expellit inque aliam copia majore determinatos accumulat; prior ſeſe deplendo actuoſa eſt, altera infarctum patiente.

β. Denique quod modo monui de virium vitalium actione, etiam ad conditiones pertinet, quibus efficitur, ut abnormes humorum motus in hanc illamve potius, quam in aliam partem dirigantur: quanquam enim nec raro mechanicae ſunt; ſaepius tamen ſympathiis debentur, quarum uti plurimae inter C. H. partes dantur, tum generales, tum ſpecia-

speciales, etiam in diversis hominibus differentes, ita ratio adhuc obscura est, neque ex facili cum legibus mechanicis concilianda. Confr. (864.)

γ. Consecutiones autem docent, naturam non infrequenter αὐτοκράτεια sua id genus anomalias, consulto quasi ac dedita opera, excitare et tanquam remedia adhibere, quibus in salutem oeconomiae suae talia efficiantur, quae regulari consuetoque humorum motu effici non valeant. Merentur itaque Activae dici, interque auxiliaria naturae actuosae molimina referri, atque a Passivis, mechanicis, quaeque per alienas potentias invitae naturae veluti obtruduntur, curiose interstingui. Activae *) utique cum suam

*) Expedit super hoc argumento legere, quae nostris temporibus Schola Stahliana, prae ceteris, solide et ad praxin apposite, titulo Congestionum tradidit. Debuerant illae tamen longe amplius extendi; quando non solum ad sanguinem pertinent, sed etiam ad quosvis alios a sanguine secretos humores; quin et ad materias morbosas cum succis inquilinis commistas, aut in parte singulari haerentes. Unde et persaepe cum aberrationibus fluidorum (397. ad 405.) conjunctae sunt, et propemodum aeque late patent; forte et latius. Cogi-

ſuam habent in ipſa ſanitate neceſſitatem inſignemque uſum (411. not.*.); tum vero imminente aut praeſente morbo medicatiſſimam ſaepe virtutem exſerunt: tametſi nec diſſimulandum eſt, etiam non raro vehementer nocere (99. ad 105.). Cum Paſſivis comparare licet, quas Medici, arte veteribus non ignota naturam imitantes, per repellentia, derivantia, attrahentia dicta remedia, non ſine ſperato eventu, faciunt molitiones, ut humores ex aliis in alias vias dirigant.

412. Quos porro natura habet, motus humorum magis determinati, ad circuitum, ſecretionem, excretionem, effuſio-

Cogita enim credi poſſe ſyſtema nervoſum, qua ſenſibus motibusque regundis praeeſt facultate, fluido quodam animari (187.), cujus qualicunque ad partes ſingulares determinatione ſua iſtae munia praeſtent! Nonne hinc colligas etiam in utraque hac ſenſuum motuumque officina congeſtiones locum habere, nimioque impetu in aliquam partem verſo alteram poſſe depauperari, fatiſcente hujus actione, illius contra ultra modum incitata? Illud ſaltem indubium eſt remedia repellentia, revellentia, attrahentia etc. non minus in hoc ſyſtemate, quam in ceteris, ſuo ſe uſu dudum Medicis commendaſſe.

fusionem in cava corporis, resorptionem ex his, etc. pertinentes, ita pendent a prioribus (406.), ut inde, tanquam effectus ex suis causis, profluant, adeoque et aberrationes, quas patiuntur, tanquam symptomata (90.), quae illorum vitiis superveniant, spectari, neque hoc loco seorsum exponi debeant.

Morbi Compositi.

413. ATQUE haec summa est affectionum simpliciorum (125. ad 412.): quae cum perraro solitariae Medico tractandae offerantur (123.), pro multifaria sua combinatione, qua demum in veros morbos abeunt, cum maxime considerari merentur.

414. Morbus compositus dicitur is, ad quem constituendum diversae affectiones simplices ita concurrunt, ut unum faciant. Hic (68. et seq.) ergo tot partes habet, quot affectionum simplicium confluxu nascitur; in has resolvitur; his demum intellectis et ipse intelligitur: nec harum ulla tolli mutarive potest, quin morbi, quem componunt, natura quoque alienetur.

415. Unde generatim quidem triplex hic locum habet compoſitio; prout aut ſolidorum, aut fluidorum, diverſa vitia inter ſeſe, aut haec cum illis, una confluunt. At utriusque generis tam multae porro dantur ſpecies; ut poſſibilium combinationum numerum inire, exque ſingulis naſcentes morbos ordinate exponere vix liceat.

416. Naturae praeterea morborum nondum ſatis liquido demonſtratae ſunt (44.). Supereſt hic plurima diſceptandi ac diſſentiendi materies; unde difficulter ſeſe expedire valeat, qui doctrina ſynthetica uti velit.

417. Rectius idcirco ex parte ſtatus morboſi manifeſtiore, quae in ſenſus incurrit (45. 86. 88.), ordo deſumitur pertractandae huic materiae appoſitus. Sic characteres certi, quibus et conveniunt inter ſeſe et diſcrepant diverſi morbi, horumque claſſes, genera ac ſpecies, legitima methodo conſtitui poſſunt; ut dignotio in praxi facilior reddatur, et confuſio ac litigandi occaſio evitetur. Morbi itaque compoſiti ſpectantur potius, ut totidem diverſae ſymptomatum concurſiones, ac, pro more ſyſtematicorum, ad Pathologiae ſpecialis eam ſectio-

ctionem, quae de symptomatibus singulatim agit, commode relegantur.

418. Accidentariae quoque morborum differentiae (121.), quanquam proxime subiungi essentialibus solent, hoc loco tamen cum plene intelligi nequeant, infra demum aptius enarrabuntur. De principiis itaque ac fontibus, unde morbi promanant (74. ac 79.), speciatim nunc dicendum est.

De Potentiis nocentibus (76.).

419. QUUM morbi in C. H. possibiles tantopere inter sese naturis discrepent; vires quoque potentiarum, quibus oriuntur (63.), diversissimas esse oportet. Merentur adeo seorsum singulae exponi, ut quam efficere quaelibet mutationem possit, compendio inveniri liceat, cum opus est (71. 79.).

420. Triplex quidem fons est, unde potentiae nocivae nobis proveniunt; uti totuplice virium genere legitime conspirante sani servamur (7.). Mens, corpus, res externae, suas hic singula partes habent (4. 5. 6.). Nec multum refert, utrum hac ipsa utaris in pertractando divisione, an cum aliis nume-

rum praeferas quaternarium aut senarium, vel cum Pitcarnio potius dichotomiam malis, atque omnia reducas ad aliorum actionem in hominem, hominisque actionem in semet ipsum. Quaecunque huc pertinent, vocari Medicis solent res nonnaturales, quasi tu dicas res medias, quae ex se nec secundum, nec contra naturam sint (2.), nec salubres, nec noxiae, at usu vel abusu tales fieri queant. Haec vocis technicae ambiguitas facile expedienda neminem morari debet (3.).

421. Agunt autem ista omnia (420.) utroque et generalium et singularium virium genere. Juvabit itaque Mechanicis, Physicis, Chemicis, Medicis uti demonstratis ad eruendos intelligendosque, quos producunt, effectus.

De nocivis Atmosphaerae potestatibus.

422. Fluidum aërium, quo viventes circumfundimur, quod respiramus, deglutimus, amplissimae corporis nostri superficiei externae, internae, perpetuo contiguum est; immo cum ipsa solidarum fluidarumque partium materiatura con-

concorporatum (147*. 403. 5.). Debet ergo pro virium qualitatumque ſuarum diverſitate multimodis nos adficere; maxime quum tot tantisque continue viciſſitudinibus obnoxium eſſe unusquisque experiatur, Phyſici definitius oſtendant.

423. Aër calidus, qua ambit aut penetrat, corpora ad ſuum gradum calefacit; rarefacit; particulas, quibus conſtant, in mutua cohaeſione relaxat; in motus inteſtinos ciet, qua volatiles ſunt, diſſipat; vires motrices inſitas ad agendum concitat; fermentationem, putredinem, ciet ac promovet.

424. Ex his (423.) intelligitur, quaenam evenire homini debeant, qui aeſtui aëris nimio diu exponitur.

1. Pro intenſiore medii ambientis calore, quo, non ſuo, corpus caleſcit, caloris nativi imminutio, extinctio, extranei ſubſtitutio.

2. Ex rarefactione augmentum voluminis, et majus quidem in fluidis, quam in ſolidis; unde plenitudo vaſorum et turgor (390.), et multiplex humorum aberratio (399. et ſeq.)

3. Ob relaxatam cohaeſionem debilitas ſolidorum (157.), ſpongioſus car-

nium contextus, articulorum infirmitas, laxum, iners, flexile (ibid.).

4. Ob eamdem rationem humorum ſpiſſorum tenuatio, inertium agitatio, motusque per vaſa minus reſiſtentia (2. 3.) liberior.

5. Vis vitalis (170. 194.) ſenſilior quidem et agilior, at robore, tenacitate, hinc duratione minor, facilius in ſuis motibus turbanda, brevi fervore torpens, deficiens.

6. Humorum pars tenuior, volatilis, ſpirituoſa, aquoſa, de poris ſuperficiei corporis externae, internae, aëri expoſitae, diſſipatur, *facile etiam, praeſertim frigore nocturno vel leuiſſimo, aut humido aere interueniente, reprimenda.* Unde *partim* defectus ſubtiliorum, craſſamenti inſpiſſatio (274*. 275. 282.), immeabilitas, diatheſis atrabilaria, inflammatoria, ſolidi exſiccatio, vaſculorum obſtructio, etc. *partim ex retrogreſſa perſpirabili materie, accedentibus ſimul mutationibus (1—9.) noxae grauiſſimae,ublioſae febres, conuulſiones, paralyſes.*

6. *Phlogiſton vinculis ſuis liberatur, in actus majores concitatur, auctum forſan quoque a materia ignea extus accedente. Vnde bilis varia, praeſertim ad putreſcendum, degeneratio, humo-*

humorum ad putredinem propensio, *febres*, *caet.*

7. Salinae, oleosae, materiae agitatio major, attenuatio, evolutio, ad putredinem et rancorem dispositio, alcalescens, acidum, amarum, adustum, foetidum, flavum, fuscum, nigricans, inducit, atque hinc oriundas febres biliosas, putridas, ardentes, malignas, contagiosas, morbosque acutos, calidos, multifaria functionum generis nervosi laesione stipatos.

8. Ea, quae primis viis continentur, sicubi ad fermentandum aut putrescendum prona fuerint, aestuoso aëre tanto citius in hos motus concitantur, ac ructus, inflationes, dolores, spasmos ventriculi et intestinorum, anxietates, vomitum, choleras, diarrhoeas, dysenterias, etc. producunt.

9. Pars corporis singularis, prae ceteris nimium excalefacta, aequabilem circuitum turbat, humores ad se trahit, rarefactos in aliena vascula admittit, irritata vi vitali inordinatas suarum fibrarum agitationes concipit: inde infarctus, dolores, rubores, erysipelas, inflammatio, *insolatio*, phrenitis, ophthalmia, angina, peripneumonia, etc.

425. Manifeſtum itaque eſt, calorem atmoſphaerae prodeſſe quidem corporibus ſenilibus, torpidis, frigidis, mucoſis, colluvie ſeroſa obrutis, inopia humorum laborantibus: at contra vehementer nocere plethoricis, obeſis, biliosis, calidis, ſiccis, in haemorrhagias pronis, irritabilibus, cibo animali potuique ſpirituoſo deditis, multisque cacochymicis; praecipue autem generi nervoſo, pulmonibus, primis viis ac ſyſtemati bilioſo infeſtum eſſe, harumque partium functiones multimodis turbare. *Calor ſane immoderatus, ſi frigori aeque intenſiori confertur, generatim longe plus noxarum valetudini adfert hominesque morbis mortibusque crebris obnoxios reddit, in primis qui ei non a prima aetate adſueti ſunt. Morauicorum fratrum, ablegatorum vno fere tempore in frigidiſſimas Grönlandiae terras et in calidiſſimas Indiae occidentalis inſulas, in illis terris nullus erat mortuus, quum in his eorum, qui de vita deceſſerant, fere XXX. numerarentur.*

426. Atmoſphaerae frigus corpora denſat, in minus volumen redigit, fluida quidem eodem gradu magis, quam ſolida, ad congelationem uſque; ſolida rigefacit, magis elaſtica reddit; motus inteſtinos

nos fluidorum minuit, ſuſpendit; majore gradu aquam et liquores aquoſos in glaciem vertit; quae dum naſcitur, rareſcens, levior, majus affectat ſpatium, magnaque vi, quae expanſioni reſiſtunt, obſtacula amolitur: liquores non ſimplices ſi congelaſcunt, pars a parte ſecedit, craſis totius mutatur, nec regelando ſemper reſtitui poteſt: quae vaſa ſuccosque his contentos habent, molliores praecipue vegetantium ac animantium partes gelu conſtrictae, ſi ſubito calore regelantur, irreparabilem contextus ac mixtionis diſſolutionem paſſae corrumpuntur.

427. Haec (426.) generatim a Phyſicis demonſtrata ſi ad hominem applicentur, conſequitur frigore intenſiore

1. Solida corporis contrahi, rigefieri, elatere augeri, fragiliora reddi (165. 3.), canalium cava arctari, hinc contentis ſpatium minui, reſiſtentias creſcere. Tanto autem major conſtrictio erit, quia ſenſus frigoris etiam ſtimulo agit in vim vitalem (171.).

2. Humores cogi, inertes, immeabiles, ad ſtagnandum pronos reddi.

3. Mutari ergo rationem continentium ad contenta (424. 2, 426.), et ceteris

 pari-

paribus corpora ſuccis exhauſta deterius, quam pleniora, habere.

4. Robuſtis porro ac motu animali valido utentibus mutuam inter ſolida ac fluida actionem, attritum, increſcere, calorem internum augeri, circuitum, coctionem, attenuationem, diſſipationem, et reparandae per alimenta ingeſta jacturae neceſſitatem intendi, hinc appetentiam acui, huicque niſi mature ſatisfiat, accedere debilitatem, animi deliquium et vel mortem ex fame ſubitaneam.

5. Debilibus contra et quieſcentibus, ob conſtricta vaſa ac ſpiſſos humores, circulationis vigorem imminui, nativum calorem, vim vitalem, decreſcere, omnium functionum torporem induci, ſuppreſſis evacuationibus non defaecari humores; inde acre, mucum, aquam, augeri, ſcorbutum, morbos articulares, leucophlegmatiam, hydropes, naſci: obrui praeterea nimia humorum copia partes interiores, cum ad ſuperficiem corporis aëri expoſitam reſiſtentiae ob frigus ultra modum creſcunt (411.); hinc cordis, pulmonum ac encephali functiones praecipue impediri: penetrante autem introrſum gelu inſuperabili omnem ſuſpendi motum, et vel ſanguine in pulmonibus coa-

coacto, intercepta respiratione, subitam inferri mortem, aut encephalo congelascente invincibilem nasci somnum, quo vita demum exstinguatur.

5. *Irritabilibus, mobili neruoso systemate et fibra irritabili praeditis, insueto praesertim frigore post calorem accedente, supra naturalem omnibus horrorem, solidum viuum nimis irritari, rigores, conuulsiones induci, in superficie maxime, hinc humores introrsum agi.*

6. Extremis corporis partibus, quae minus a frigore defensae sunt, contrahi vascula, spissari humores, occlusis poris et suppressa perspiratione acre retineri, accumulari, irritare, hinc livores, rubores, tumores, pruritus, perniones, fissuras, ulcera nasci; aut frigore glaciali penetratis, sensu motuque suffocato, gangraenam, sphacelum, et ab imprudenti dein excalefactione putredinem (426.), loco sanationis, induci.

7. Cavum narium, fauces, tracheam, qua spiritus meat, similia pati; hinc gravedinem, coryzam, anginam, raucedinem, tussim etc. creari.

8. Pulmones maxime, ut amplissima superficie contactum spirati aëris libere admittunt, stringi, minus perspirare, pituitam accumulare, obstrui, exsiccari,

coa-

coacto ſanguine, permeare impedito, rigidari, motu vitali contra inſurgente inflammari, ſuffocari. Unde anhelitus, tuſſis, catarrhus, mucus, *inflammatio*, pus, gangraena, ſphacelus, mors ſubita.

9. Male praeſertim affici et corpora et partes, in quibus vis vitae minor ineſt, aut juſto irritabilior, debilior humorum circuitus, caloris nativi languor, ſenſuum motuumque torpor, aut et nimia agilitas, fibroſi contextus teneritudo, aut excedens rigiditas, humorum inopia, aut inertia aquoſa, glutinoſa, terreſtris, frigida, vappida.

428. Quibus perſpectis haud difficile eſt rationem reddere, *cur frigus, intenſius etiam, vtplurimum ſatis commode feratur*, cur frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, encephalo, ſpinali medullae? Cur ſenibus? Climati calidiori adſuetis? Cur ulceribus mordax, cutim obduret, dolorem, qui pus non moveat, producat, convulſiones, tetanos, nigrores, rigores febriles concitet? Quin patet etiam, cur ſubitae caloris ac frigoris permutationes inſuetis incautisque adeo noceant, et quae mala efficiant?

429. Aër humidus, multa gravidus aqua, elatere ac pondere ſuo minus efficax,

cax, impreſſos motus receptasque qualitates ſenſibiles ſuffocat magis, quam propagat; minus aptus novos vapores de corporibus, quae ambit, recipere, abſorbere, diſſipare, haec potius humectat, humore inſinuato replet, laxat, mollit, ſolvit, diluit; ſitum, putredinem, promovet calore praeſertim adjutus; frigidus ſimul difficilius caleſcit, ad ſenſum frigidior eſt.

430. Liquet adeo in atmoſphaera humidiore diu verſanti

1. Superficiem corporis minus premi, canalium parietes hinc parte ſuae fulturae externae priuari, nec plena vi in contentos humores agere.

2. Humores inundante aqua nimis dilui, colluviem ideo ſeroſam naſci, et quae inde ſequuntur, mala (297.).

3. Solida humectata laxari, flacceſcere, inertia reddi.

4. Itaque circuitum vitalem in univerſum, trajectum ſanguinis per pulmones, attritum, calorem, coctionem, nutritiouem, torpere, ac repleri quidem, non roborari corpus.

5. Supprimi perſpirationem, praecipue pulmonalem: unde augmentum coluviei ſeroſae (2.), infarctus vaſorum pulmona-

monalium, tuſſis, peripneumonia notha, excretio per ſputa, urinas, alvum, copioſior, aquoſi laticis in celluloſa et cavitatibus reſtagnatio, lentor, corruptio acris, praegravati corporis torpor, febris, rheumatismus, cachexia, etc.

6. Senſuum aciem obtundi, languere motum animalem, genus nervoſum infirmari, vim vitalem minui (198. 3. 4.): unde omnium functionum inertia.

7. Humori junctum frigus ſi fuerit, modo memorata etiam majore gradu naſci, difficilius ſuperari, omnem ideo naturae vigorem cadere.

8. Calor contra magnus ſi acceſſerit, ſummam induci ſolidis laxitatem, aperiri poros, attrahi humores, attenuari, in aliena vaſcula admitti, qua data porta erumpere, aut et retentos celerrime ad putredinem diſponi: unde habitus externi diſtenſio, ſudatio enormis, interiorum inanitio, virium lapſus, morbi putridi, contagioſi, peſtilentes.

9. Aetati igitur teneriori, ſexui ſequiori, temperiei frigidae, humidae, corporibus laxis, aqua, muco, plenis, humentis aëris uſum valde nocere.

431. Siccitate peccans aër oppoſitos edere effectus debet: abſorbendae quippe

pe humiditati aptissimus corpora quidem siccat, siccando roborat, exsucca tamen et reddit, rigefacit, ac tenuiores humorum partes abripiendo morbosam his spissitatem inducit, inflammatoriam, atrabilariam (282. 284. 367.). Prae ceteris tamen utrique hominis principio amicior habetur ista aeris qualitas, ac saluberrima, maxime si caloris excessus abfuerit.

432. Aer, qua gravis, efficax est in comprimendis, densandis, quibus circumfunditur, corporibus, eoque magis, quo gravior, figitque simul materiem, quae liquoribus continetur, elasticam, sub minore aeris pressione sese expedientem. Baroscopiis autem constat, crassiorem aera, qui humidior est, fere minus gravitare, magis contra sereniorem, et multas magnasque perpetuo esse hujus dotis vicissitudines in nostra atmosphaera; ut, quae inter maximum et minimum terminum intercedit, differentia etiam partem decimam exaequet.

433. Inde atmosphaera, qua corpus humanum ambit ac subintrat, pondere suo hoc ipsum in omni puncto aequabiliter, pro more fluidorum, premit, solida fulcit, roborat, continentia ad contenta appri-

apprimit, mutuam inter haec actionem attritumque auget, canalium diametros tuetur, humores, ne evagentur, coercet. Viget adeo ſub juſta harum potentiarum aequilibritate circuitus vitalis, reſpiratio, calor nativus, ſanitas.

434. Aucta quidem per cauſas naturales aeris preſſio, ſicubi aequaliter agit, fertur facile, quin ſanum robur auget: at majore momento in partem ſingularem directa nocere poteſt comprimendo, arctando vaſa, exprimendo humores atque in partes alias, minus preſſas, determinando. Id cum pulmoni intenſiore gradu evenit, canalibus eius compreſſis, aucta cordi reſiſtentia, trajectus ſanguinis impeditur, ſuffocatur, retentisque humoribus gravantur aliae partes, non ſine multiplici noxa.

435. Imminutae gravitatis pernicioſior vis eſt: ſolida enim fulturae defectu laxat, humores exſoluta materie elaſtica rarefacit, vaſa replet, dilatat, debilitat, hinc tumores, eruptiones, aberrationes humorum producit, circulationem infirmat, vires ad motum animalem proſternit, pulmonum praecique actioni obeſt: unde reſpiratio laborioſa, non ſatians,

tians, ab accumulato ſanguine peripneumonia, haemoptoë, etc.

436. Innoteſcit hinc leviorem, calidiorem, humidiorem aëra multis effectibus inter ſe convenire (424 429. 435.), itemque gravem, frigidum, ſiccum, (427. 431. 434.); adeoque pro diverſa harum qualitatum concurſione noxas inde oriundas multum intendi, aut mitigari quoque et averti poſſe. Nec diſſimilis eſt ratio aëris nimis rari aut denſi, minusve aut magis juſto elaſtici.

437. Quum vero atmoſphaerae pondus in diverſa locorum altitudine, aut in eadem, diverſis temporibus, maximopere diſcrepet, huicque ideo proportionata corporum preſſio plurimum quoque variare debeat; pronum eſt colligere, cur magnae ſubitaeque hujus etiam dotis permutationes inſuetis tam intolerabiles ſint? Cur periculoſiſſimae debilibus, irritabilibus, et quorum humores multum ac facile rareſcunt? Cur adeo incommodae iis, quos morbi pectoris tenent? Cur aſthmaticis imminentis boni vel mali index Barometrum?

437. *Aer ad ſpirandum non omnis aeque aptus eſt, conſtitutiuas partes ſi reſpexeris. A dephlogiſticato, quem aptiſſimum ad ſpiritum*

tum et amicissimum corpori experti sunt physici, ad phlogisticatum, huic oppositum, gradus plurimi bonitatis aeris sunt ex dephlogisticati aeris copia, quae datae atmosphaerici quantitati inest, et ab absentia aliarum aeris specierum ad spirandum minus idonearum, vaporum, caet. determinandi. Phlogisticum in primis principium, si in spirabili aere praepollet, corpori admodum inimicum est, phlogisti euacuationem e pulmonibus praepediendo, eo simul in corpus tanta copia ingesto, vt vita consistere nequeat. Inde quo minus aer phlogistico principio imbutus est, eo salubrior merito putatur, licet principium phlogisticum temperatum aeris atmospherici partem essentialem constituat, neque credibile sit dephlogisticatum, licet in pluribus morbis auxilio sit, in sanis diu sine valetudinis detrimento tolerari posse. Fixus aer athmosphaerico moderata copia mixtus impune fertur, meracus autem fermentatione aut alio modo exsolutus, fundum, ob grauitatem petens, praesentaneum vitae venenum est.

438. Exitialie *etiam* vitium est, quod diuturna stagnatione in locis undique occlusis, puteis, cryptis, contrahit aër, cum nulla ventilatione renovatur. Torpore enim veluti putrescens, *phlogisticus, fixo abundanter remixtus*, qui vitae cibus fue-

fuerat, velox fit venenum, vitae non minus, quam flammae, inimicissimum.

439. Nec dispar corruptio est, quam subit aër, ubi semper idem, nec renovatus, circa hominem stagnat, multoties respirationi vitali adhibetur, praecipue autem multitudini hominum circumfusus in usu est. Sive enim amittat inspiratus aliquid, quod non, nisi permixtione cum aëre recente, recuperare queat; sive receptis a corpore vivo *phlogistica materia et* vaporibus inficiatur; seu demum propria inertia situm contrahat; certissimis hodie observatis constat; in carceribus, castris, nosocomiis, navibus, et in quocunque multorum hominum diversorio haud rite ventilato, ob eam caussam virus innasci aëri, quo *mortes subitaneae*, febres pessimi generis, putridae, malignae, exanthematibus stipatae, cito lethales, contagio quoque late serpentes, oriantur. Haec vero cum putrorem in humores inductum (312. ad 314.) multis indiciis ostendant, vim septicam aëris sic corrupti quoquo modo contractam clare testari videntur.

439. *Electrica materies in aere, sed non aequali mensura, contenta, facile quippe ab athmosphaerae temperatura, ventis, caet. mutanda,*

tanda, in corpus majori, quam par eſt, copia, reſorpta, aut nimis parca ingeſta, concitata in vtroque caſu in corpore humano et in motus abnormes acta, tracto forſan in conſortium phlogiſto, ſpirituum vitalium motus inordinatos, ſolidi viui irritabilitatem morboſam, apparentem plethoram, anxietatem, animi, virium proſtrationem, caet. inducit, neruorum morbos et infert, et eorum exacerbationi fauet *).

440. Qui porro conſiderat, in atmoſphaeram perpetuo recipi diffundique omnivaria quorumcunque corporum effluvia ſubtilioresque moleculas, quae quovis demum modo volatiles redditae, multifariam inter ſeſe et cum aëre permiſtae, diviſae, conjunctae, pro ſuo quaevis ingenio alias atque alias agendi vires habeant exſerantque in corpora humana, quae una cum aëre alluunt ac ſubintrant; is facile videt, innumera ex hoc fonte promanare morborum

*) *Fuſe per exempla, ſed ad ſeuerius examen reuocanda, probauit* Claudius Revillon, *V. Cl^mus^, in libro:* Recherches ſur la cauſe des affections hypocondriaques, apelées communement vapeurs, Paris 1786. *hypochondriacorum tolerabilem et aduerſam valetudinem electricitati, quae in aere ſubeſt, exacte reſpondere.*

rum principia ac materias, quae frustra quis ab ipsomet aëre, aut a communibus ejus qualitatibus repetat, perque observationes meteorologicas unice detegere atque explicare conetur.

441. Quocirca sane difficillimum fuerit plenam exhibere aëris historiam pathologicam, quae examussim omnes et singulas, quas contrahere potest, noxias vires enarret, et ad peculiares ejusdem constitutiones in quibusvis locis ac temporibus applicari valeat; maxime, quum tanta sit multitudo ac frequentia occasionum, quibus et qualitates ejus et contenta necessario permutari debeant.

442. Corpora caelestia, meteora, climata, anni tempestates, soli diversitas, montes, mare, lacus, paludes, flumina, vegetantia, animalia, subterranea, hominum numerus, vitae genus, alimenta, potulenta, ignis pabulum, opificia, artes, commercia, et alia plurima, suam quaeque eo symbolam conferunt.

443. Ventorum praecipue insignes sunt in varianda aëris efficacia partes, et multiplex hinc in corpora humana agendi modus. Impetu suo allisi urgent premuntque fortius, quasi pondus aëris increvisset (433. 434.). Plus dein aëris in-

tra datum tempus homini applicant: quo plerumque fit, ut et communes atmosphaerae qualitates, et, quae continet, aliena tanto intensius pro suis quaequaeque viribus agant. Renovant quoque nec torpore corrumpi sinunt (438. 439.) tum aërem, tum aquas. Agitando praeterea miscent inter sese varias aëris regiones: inde alias qualitates aliis substituunt, diversas mutua confusione contemperant, contenta quoque permutant, diluunt, diffundunt, aequabilius distribuunt, inter se effectu varia committunt. Vapores praesertim, effluvia, miasmata, de locis in loca transferunt, sic purgant aut inquinant. Nec alia fere potentia datur naturalis, quae ut ipsamet saepe admodum variabilis est, ita fluido aërio tam magnas et universales mutationes tanta celeritate inferat.

444. Ex his quidem (443.) in genere perspicere datur boni malique plurimum adflare ventos homini posse. Ut autem cognoscatur, quid quisque ventus speciatim valeat, non satis est generalibus inhaerere; quando idem diversis temporibus ac locis salubris et insalubris esse potest. Diversus aëris status (442.) in locis, unde spirant, per quae feruntur, quo

quo tendunt venti, varia eorumdem duratio, ſucceſſio, et ſimilia, longe alias et vel oppoſitas quoque vires ciere ſolent. Ut adeo non niſi his una conſideratis limitatior quaeſtio demum ex vero utcunque ſolvi queat.

445. Quum igitur tanta ſit in diverſis habitati orbis regionibus atmoſphaerae diſcrepantia, et longe plurimi a ſtatu exquiſite ſalubri receſſus ubivis fere perpetuo obtineant; ut ex hoc ſolo fonte innumeros quotidie morbos profluere neceſſum videatur: mirari omnino quis poſſit, ubique tamen et homines vivere et ſanitate frui, et vel ſub jove malo etiam longaevitatis haberi exempla ac valetudinis in ſenium uſque ſine morbis protractae. Nimirum nativitate et conſuetudine durantur corpora, ut malignum aëra non modo innoxie ferant, ſed ſemel adſuefacta vel facilius quoque, quam mitiorem inſolitum. Ipſa aëris inconſtantia et frequens variatio ſaepe pro remedio eſt, quo vis nociva obtundatur. Magnis demum ſubitisque mutationibus difficillime reſiſtitur. Natura denique et cuivis fere climati propria dedit temperamenta, quibus, quod

intolerabili gradu noxium habet aër, utcunque mitigetur.

Noxae ex Cibo et Potu.

446. Manifestum vitae ſanitatisque nutrimentum in eſculentis et potulentis eſt, quae idcirco non minus, quam aer, inter res neceſſarias referuntur. Rei tamen optimae peſſimi ſunt et valde multiplices abuſus, unde plurimorum morborum materiae cauſaeque ſuccreſcunt. Merentur ergo ſpeciatim conſiderari.

447. Docet quidem obſervatio ſtupendam ab humano genere admitti ferrique in victu varietatem; ut ferme diceres nihil admodum conſtans certumque eſſe, quod uſum atque abuſum diſcriminet. Ferrea quorumdam natura nullo fere exceſſu laeditur. Alios vitae genus a noxis tutos praeſtat. Durantur alii adſuetudine. Nonnullos frequens in oppoſita extrema relapſus, atque adeo ipſa errorum permutatio juvat. Iſthaec tamen cum ad paucos modo pertineant, tollere, quae maximae parti evenire ex abuſu ſolent, nequaquam poſſunt.

448. Alimentorum copia major, quotidie ingeſta, etiam quae vires coctrices non

non ſuperat, conſuetudine tamen inducit voracitatem, et, niſi vita interveniat laborioſa, increſcente chyli, fecum, pinguis (394.), ſanguinis (388.), omnium humorum (385.) multitudine obruit tandemque nocet.

449. Eadem tanta, ut oneri ſit ac rite digeri nequeat, fractis canalis alimentarii viribus, impedito menſtruorum digeſtivorum affluxu et actione, hinc perturbata coctione, cruditates parit, ſpontaneas ingeſtorum corruptiones, multiplex hinc chyli vitium (325. ad 330.), et quae ex horum quovis tum in primis viis, tum in reliquo corpore, naſcuntur, mala innumera, praecipue multivarias cacochymias *viſcerum abdominalium, maxime meſenterii, praeſertim in pueris, obſtructiones*, (283. 284. 288. 307. ad 321.), ac vitia nutritionis.

450. Quodſi vero enormi ſarcina ita diſtenditur ventriculus, ut nato ſpaſmo ora ſua claudat, diſtractis fibris, vaſis arctatis, ſuppreſſo motu, ſufflaminato humorum affluxu, prohibeatur contritio, permixtio, ſolutio, dilutio, expulſio; preſſis, irritatis partibus vicinis dyſpnoea naſcitur, anxietas, humorum circuitus perverſus, *defluxus ad inferiora prae-*

 pedi-

peditus, ad ſuperiora intenſior propulſio et impetus male directus, excitata cum encephalo conſenſio, cephalalgia, vertigo, ſenſuum hebetudo, apoplexia; aut et cardialgia, nauſea, vomitus inanis, rariſſimisque exemplis ruptura oeſophagi aut ventriculi; niſi mature laxato alterutro ore gravans materies vel vomendo excutiatur, vel cruda devolvatur in inteſtina, commotaque alvo tandem exeat.

451. Repletio autem a cibo, quam a potu, fere nocentior eſt; tolerabilior, quae lente et gradatim fit, quam quae ſubito.

452. Copia ingeſtorum minor, quam vitae ac ſanitatis ratio poſtulat, ob defectum neceſſariae refectionis, languorem functionibus infert, minuit humorum quantitatem, adipem conſumit, emaciat, extenuat corpus, refrigerat, ventriculum ac inteſtina contrahit; ut aegre dein plus alimenti ferant, quin moleſtia, dolor, nauſea, vomitus, oriatur: ſic conſuetudine inducitur demum menſae parciſſimae neceſſitas, atque intolerantia ejus etiam demenſi, quo natura eget.

453. Abſoluta autem a cibo et potu abſtinentia ſi diu fertur, liquores men-

ſtrui

ſtrui, qui in primae digeſtionis officinam confluunt, ingeſtis novis non mixti, diluti, temperati, pro ſua indole admodum acres fiunt: inde anima foetens, ingens appetentia, vel ad ſummam quoque crudelitatem impellens, ructus, borborygmi, nauſea, vomitus materiae acris, ſalinae, bilioſae, putridae, animi deliquia, fami demum proſtratae ſuccedens immanis ſitis, ſiccitas, debilitas. Dum vero blandi chyli nihil in interiora devehitur, et interea tamen vitae actiones perſeverant; oportet ſolidis detritis, nec refectis, diſſipata parte humorum tenuiore, quae non reparatur, vaſa inaniri, circulationem fatiſcere, et cum mole corporis imminuta vires cadere: inde levitas ad ſtateram, pulſus debilis, caloris nativi decrementum, ſqualens macies ac ſiccitas bibula habitus corporis. Succedit denique defectu mitis nutrimenti atque attritu continuato, ſalium oleorumque in humoribus ſumma acrimonia, volatilis, putrida, rancida, peſtifera, ex qua ſpaſmi, convulſiones, febres acutae, furibundae, mors.

454. Haec quidem (452. 453.) ſaeviora ſunt ac citius necant, ſi potus ſimul ac cibi inopia genius defraudetur: defe-

defectus cibi utcunque potione levatur. Et quo circuitus humorum intenſior eſt, motus animalis fortior, auctior calor, copioſior excretio ac diſſipatio, eo graviores ab inedia noxae.

455. Liquet igitur abſtinentiam nimiam magis etiam laedere, quam nimiam repletionem, et delinqui gravius in victu nimis tenui, quam in paulo pleniore. Quin conſtat etiam, cur ſenes facillime inediam ferant; dein aetatis conſtantis homines; nequaquam adoleſcentes; omnium minime pueri; et inter hos quidem illi, qui id aetatis fuerint alacriores? Quare animalia hyeme ſopita vitam ſine alimento protrahant? Cur et quales aegroti diutius inediam, quam ſani, tolerent? Quare macilenti facilius, quam humoribus pleni? Quae cauſa ſubitae emaciationis in acutis? Cur a fame *acutiſſimi et diriſſimi febriles morbi, ad peſtem fere referendi?*

456. Proportionem cibi ſolidi ac potus mutuam non adeo exquiſitam poſtulat ſanitas, ut non diverſiſſima utentes recte valeant. Suadet etiam ratio, cuivis aetati, ſexui, temperamento, vitae generi, tempeſtati, climati, etc. non eamdem

aeque

aeque convenire. Videtur tamen enormior alterutrius excessus posse laedere, si conditionibus hominis incongruus diu protrahatur. Abundantior certe potio aquosam inducere tenuitatem (287) humoribus debet, urinas, perspirationem, sudores ultra modum augere, sic eluta *et diffusa nimis* simul materiae utilis parte suo fraudare corpus nutrimine; aut et retenta aqua debilitare, torpefacere, varias hydropis species creare (ibid.). Contra ubi alimenta, ex se non liquida, justo parciore potu humectantur, nec humidior est temperatura hominis, spissa sarcina gravatus ventriculus aegre digerit, tarde expellit, crassiorem intestinis tradit chymum, qui et per haec difficulter mobilis, horum muco magis inviscatus, fece multa, spissa, sicca, restagnante, opplet, chylum parciorem, spissiorem, lacteis tradit: unde mesenterii obstructio; sanguis glutinosus, densus, atrabilarius; similes alii humores; salis non diluti acritas major; excrementi secessio et expulsio difficilior; cacochymia multiplex; viscerum infarctus, multique alii, quos aquae defectus pedissequos habet, effectus morbosi. (Conf. 166. 167. 198. 282. 285.).

457.

457. Materiarum, quibus vitam, nec aegre, ſuſtentant homines, tam diverſae ſunt qualitates; ut pene videatur perinde eſſe, qualibuſcunque utaris, modo valeas; ſanis omnia eſſe ſana, et palato impune indulgeri poſſe, dumne quantitate peccetur. Suadet tamen luxus plurimis, alios penuria cogit ejusmodi ingerere, quae etiam modice aſſumta nocent. Sunt et quorum rarior uſus innocens eſt, quotidianus demum laedit. Sunt quae inſuetis tantum obſunt *et quae in alio climate facilius, in aliis difficilius feruntur.* Quin et ingens illa hominum inter ſeſe diſcrepantia, quam ſanitatis latitudo comprehendit, uti non eundem in ſingulis virium coctricium gradum ponit; ita aliam atque aliam, quae cuique conſentanea ſit, victus rationem poſtulat. Doceat lac, quod natura infanti deſtinavit. Juvat itaque et varia mala, quae ex hoc fonte promanant, ſpeciatim exponere.

458. Viſcidum in cibis abundans, ſicubi valido naturae robore non ſubigitur, chylum producit nimis glutinoſum et, quae inde porro ſequuntur, mala ſupra memorata (285.329.). Pulmonum oppletio, glandularum tumores, telae celluloſae infarctus, ſyſtematis, quod ad bilem

bilem pertinet, inertia, *fibrosi contextus relaxatio*, generis nervosi languor, torpor vis vitalis (196. 198.), praecipua fere sunt, cum gluten, ex primis viis in interiora devectum, universam humorum massam inundat (283.). Glutinoso autem et acre quandoque jungitur, quod aut manifestum continent alimenta, aut corruptione, ob defectum coctionis inducta, concipiunt; ex vegetabilibus quidem acidum (307.), acerbum (309.), ex animalibus putridum (312. 313.), ex pinguibus rancidum (375.), Sic pituitae acres (373.) nasci queunt, suis singulae effectibus diversis notabiles.

459. Pinguium abusus, dum blanda sunt, primas vias lubricat, laxat, debilitat, chylum praebet nimio obrutum cremore, qui minus etiam subactus facile secedit (331.). Unde praegravans obesitas (394.). Quin et si virium coctricium torpidior fuerit actio, qui in esculentis pinguedinibus natura inest mucus (376.), facile in viscidum (458.) degenerat, ac inertem pituitam in universum corpus diffundit. Utraque de causa debilitas solidorum (162.), ac torpor (198.). Oleosa insuper sincera, minoribus vasculis impacta, aquosis humo-

humoribus introitum transitumque negant; sic obstructiones, ac secretionum et excretionum impedimenta creant.

460. Eadem vel spontanea corruptione, vel praeparatione coquinaria, vel vitio coctionis, ex nativa blanditie in acrimoniam versa, nocent vehementius (328.); maxime si diuturno abusu rancor primarum viarum in secundas admissus adipem corporis demum quoque infecerit (375.). Inde pessimae notae cacochymia acris, atrabilaria, scorbutica, cadaverosa, vix extergenda, quae ad inflammationes, exanthemata, herpetes, ulcera maligna, cancros, gangraenas, sphacelos, cariem, disponit.

461, Eorum, quae ingerimus ex numero vegetabilium praesertim, multa acidum habent manifestum, plurima latens, quod evolvi potest. Hoc si valida vi coctrice non vincitur, et vel suas ob causas extricatum magis, acuitur (307.), chylum, menstrua primae digestionis, sanguinem denique ac reliquos humores acore inficit, qui multimodis ubique (308. 325.) nocet.

462. Acidi austeri, quod praecipue in fructibus minus maturis residet, effectus mor-

morbofi ex (309. 320. 326. 376.) innotefcunt.

463. Acidum fubtilius, quod in fermentatis plus minus acre et manifeftum ineft, fpiritu perquam volatili ftipatum, citius per maffam humorum fe diffundens, cum nimio ufu vires coctrices eludit, *in ipfis coctionis inftrumentis irritationem, fpafmos, obftructiones, caet. et* delata in lympham acritate irritante, folvente, diverfimode cum terra concrefcente (320. 371. 372. 379.), dolores, fpafmos, vafculorum conftrictiones, ftafes humorum, catarrhos, rheumatifmos, arthritidem, calculos et fimilia infuper producit.

464. Alcalefcentia acria, cibi, potus, condimenti titulo largius ingefta, quid mali inferant, ex (310. 311.) liquet.

465. Quae de nociva falfamentorum acrimonia hoc loco memorari poffent, ante (315. 316.) occupata videantur.

466. Aromatum vis ignea, ab alimenti ingenio (296.) longe aliena, acri oleo, refinae, fali, fpiritui rectori inhaerens, naturae humanae vix domabilis, urente laedit fanos ftimulo, tenaciore, pinguedini amico, difficulter abftergendo: producit adeo in primis viis fitim, cardial-

giam, ardorem ſtomachi, pinguium una ingeſtorum rancorem, nauſeam, ructus, vomitus; bilem exaſperat; *ſenſibilitatem et mobilitatem inteſtinalibus nervis nimiam inducit;* inteſtina inflammat: in ſecundis viis motum humorum intendit, calefacit, ſubtiliora diſſipat, adipem eliquat, ſales acuit, acrimonia alcaleſcente *aut volatili alia* attenuat ſanguinem (310. 311.), corpus torrefacit. Inde ſiccitas, macies, febres calidae, contracturae, ſpaſmi, exanthemata, inflammationes, dolores arthritici, et plura alia naſcuntur.

467. Quod habent vina, cereviſiae veteres, praecipue meraciores, liquores ardentes ex his ſimilibusve igne prolecti, ſimplices aut diverſimode compoſiti, acre ſpirituoſum, fermentatione natum, ſui generis eſt, in bonam malamque partem famoſiſſimum, priva ſibi efficacia ſingulare, et abuſu magis etiam nocens, quo penetrat altius, ac diluente vehiculo per emunctoria corporis emiſſo, meracius ſemet in humores ac ſolida defigit. Agit autem fluida denſando, ſpiſſando; partes firmas conſtringendo; *cogendo, in calloſam naturam mutando;* fibras ſtimulando; vim vitalem, vim ſentientem, impetum animalem incitando, in turbas ad-

adigendo. Itaque neceſſum eſt immodica potione induci ſitim, temulentiam, circuitum acceleratum, calorem auctum, rarefactionem humorum, ſubtilioris diſſipationem, humorum coagulum, ſanguinis diatheſin inflammatoriam (367.), vaſorum conſtrictionem, dilatationem, rupturam, errores loci (397. et ſeq.), obſtructiones, inflammationes; ſed et ſyſtemaris nervoſi vibrationes enormes, delaſſantes, peſſumdantes, nimiam humorum ad ſuperiora determinationem, encephali hinc commotionem, oppletionem, *apoplexiam*, difflato denique ſtimulo ac ſedato impetu inſequi ſubſidentiam humorum, collapſum vaſorum, circulationis torporem, frigus, vires exhauſtas, omnium functionum languorem, contraria prioribus omnia, *et in his, qui exceſſui adſuerunt, vix niſi noua crapula ſuperanda.*

468. Haec rite conſideranti haud obſcura poteſt eſſe ratio eorum, quae ebrioſis accidere quotidie obſervantur. Cur natam ab heſterna crapula aegrimoniam nova pocula ſolvant? Cur hic abuſus ex diuturna conſuetudine in neceſſitatem abeat, ac ſero aut nunquam dediſcatur, imo paullatim increſcens a lenioribus ad

fortiſſima tandem perveniat? Quare junioribus tanto, quam aetate provectis, perniciosior ſit? Quamobrem primae digeſtionis officinam adeo labefactet; ut, proſtrata omni ciborum appetentia, ſolo tandem potu vivatur? Quid humores, tanta ſpirituum copia jugiter nutritos, in vappam mutet? Unde cachexia, macies, leucophlegmatia, hydrops, in ebrioſis? Unde oculorum rubor, exanthemata faciei? Cur proni ſint in morbos acutos, inflammatorios, hisque periculoſiſſime decumbant? Cur tremores, paralyſes, apoplexiam, et quae ſunt alia ſenſuum motuumque vitia toties experiantur? An podagra et calculus huic quoque acri debeatur?

469. Ejusdem quidem originis, at naturae diverſae eſt acre, Gas HELMONTIO dictum, quod vigente fermentatione vinoſa naſcens exſpiransque afficere eos poteſt, qui magnam valde fermentabilium, aut re ipſa fermentantium, copiam ſubito in ſe ingurgitant. Acritas haec, vi elaſtica praegrandi ſtipata, ſtimulo non tantum, ſed expanſione etiam nocet: unde ructus creat, ſpaſmos ventriculi et inteſtinorum, inflationes, anxietates ſummas, vomitum, choleram,

ram, diarrhoeam, dyſenteriam, ileum, etc. Haec tamen leviora modo ſunt, ſi plurima ſpectes exempla hominum, quos aëris iſthac aura infecti uſus ſubitaneae morti dedit.

470. Dulciaria, ſaccharata, mellita, hisque ſimilia, uſu immodico, per occultam acrimoniam dentibus inimica ſunt; pro vi ſua fermentante, acidum ingenerant, et quae ex hoc profluunt, mala (461.); praeterea ſolvunt tenuantque humores (288.); horum minuta denſitate et firmas partes relaxant; non uno hinc nomine generi nervoſo infeſta, infantibus, ſexui ſequiori, debilibus, hyſtericis, hypochondriacis, obſunt.

471. Flatulentum, quod olera, legumina, radices, fructus varii eſculenti ſimiliaque, diu multumque, ſine interpoſitis aliis, ingeſta, fotu, actione menſtruorum digeſtoriorum, fermentatione etc. evolvunt, ſicubi vi valida coctrice non ſubigitur, ructus, flatus, borborygmos, colicas creat, primarum viarum fibras diſtrahendo enervat, irritando in ſpaſmos ciet, ordinatos motus pervertit: unde cruditas alimenti, diaphthora, varia chyli degeneratio, impedita defaeca-

tio, paucum ac debile nutrimentum, virium lapſus, cachexia etc.

472. Principium terreum in ingeſtis exſuperans, ſive acido infectum (462.), ſeu viſcido (458.) pinguive (459.) permiſtum fuerit, ni motu animali vincatur, potuque multo diluatur, oneri eſt primis viis, dyſpepſiam producit (456.), multitudine ac ſiccitate fecis ventrem infarcit, alvum conſtipat, *vaſa reſorbentia infarcit*, haemorrhoides tumentes, dolentes, fluentes, infert, auctaque per chylum nimis terreſtrem proportione hujus elementi in ſanguine, ceteris humoribus, firmis etiam partibus, cohaeſionem nimiam, quietem, inertiam (142.), rigiditatem (166.) torporem (198. n. 4.), ſpiſſitudinem (284.), concretiones varias (320.), obſtructiones (209. n. 8.), et quae hinc promanant, mala innumera efficit.

473. Polytropha, ſuccoſiora, jurulenta, quum juſto uberius nutriant, *digeſtivis viribus ſaepe ſuperiora*, corporibus *praeſertim* minus exercitatis illata plethora (388.) nocent; augent et adipem non ſine moleſtia (394.), et quando ab animalium partibus praecipue petuntur, ex multitudinis vitio tandem in cacochymiam acrem, putridam (313. 327.), rancidam

cidam (328. 375.), viſcidam (329. 458.), devehunt.

474. Damnoſa praeprimis eſt aquae in victu exſuperantia, quam calidae potores admittunt, abuſu hodie nimis pervulgato. Inundata hoc potu viſcera primae digeſtionis laxantur, infirmantur, menſtruorum ſalia nimis diluta enervantur, anorexia, apepſia naſcitur: multa inſuper irrigatione mucus (373.), has partes intus oblinens, abſtergetur; unde nudatarum ſenſiliſſima teneritudo, dolores, ſpaſmi, intolerantia ingeſtorum, vita ſine cibis, etc. Chylus vero aquoſior, in ſyſtema circulationis delatus, tenuitatem aqueam (287.) per humores diffundit, pallorem ſanguini (363.), colluviem ſeroſam univerſo corpori inducit (354. 359.): unde nutritio prava, ſolidorum debilitas (162.), *crudorum, minus digeſtorum accumulatio*, carnis effeminatio, nervorum impotentia, vis vitalis (196.), ſenſuum, motuum, circulationis torpor, frigus, hydropum variae ſpecies ex reſtagnante aquoſo lentore; eodem vero ad emunctoria determinato, horum relaxatio, excretio aucta, maxime per renes, diabetes, fluor albus, ſitis, defectus nutrimenti, virium lapſus, e-

maciatio, tenuatio corporis, tabes et ſimilia.

475. Si, quae ingeruntur ceterum ſalubria, ultra modum igne fervent, vias, quas pertranſeunt, fauces, laryngem, oeſophagum, et, in quem deſcendunt, ventriculum, fervore nimio affici neceſſe eſt, amburi, criſpari, inflammari, excoriari; hinc dolores, ſpaſmos, ſiccitatem, indurationem, abſceſſum, ulcus, fungum, ſcirrhum, cancrum, in iſtis partibus naſci. Ex quo fonte multiplex deglutitionis, exſpirationis, loquelae, concoctionis laeſio; praecipue autem triſtiſſimae illae ex oeſophagi anguſtia anginae, quae impedito alimenti in ventriculum deſcenſu miſeros, fame ſitique exhauſtos, fato vix eluctabili perimunt. An etiam vini aduſti abuſus (467.) huic malo favet?

476. Oppoſiti exceſſus haud minores, nec multum diſpares ſunt noxae. Immodice frigentia cum partes internas, calore nativo jugiter fotas, contingunt, fibras earum irritando, poros ſtringendo, vaſa arctando, humores coagulando, *errores loci inducendo*, dolores, ſpaſmos, obſtructiones, inflammationes, variaque circuitus, ſecretionis, excretionis,

impe-

impedimenta tum in his ipſis, tum conſenſione etiam in aliis partibus, efficiunt: unde toties ex hac caûſa anginae, pleuritides, ventriculi, diaphragmatis, jecinoris, etc. inflammationes, *ſuffocationes*, dolores colici, hydrops, aliaque mala naſcuntur; eoque fere certius, quo corpus paullo ante quovis demum modo magis incaluerit. Liquet adeo, quam male ſibi conſulant, qui dum aëre, foco, motu, ingluvie, vinis, condimentis, aeſtuant, cibis potibusque glaciatis refrigerationem captare in deliciis habent: noxas enim frigoris ſubitaeque permutationis (428.) ſat graves etiam, quod glacies habet, acre ac mordax vehementer auget.

477. Qui prae voracitate cibos ſolidos, tenaciores, priusquam deglutiant, commandere praetermittunt, ventriculo plus faceſſunt negotii, quam natura impoſuit. Minus expedita hinc menſtruorum in offas non emollitas actio, pinguium ſubactio nulla, difficilior ſucci extractio, digeſtio tardior, tardior de ventriculo expulſio, plures reliquiae, quas mora longior diverſimode corrumpit, novum cibum viciſſim corrupturas: unde multiplex chyli vitium (323. ad 331.), ſaburra primarum viarum, nidus vermium,

um, fex multa, tenacius cohaerens, aegre mobilis, adeoque diutius reſtagnans. Haec tamen debilibus ac deſidibus magis, quam robuſtis et exercitatis, eveniunt.

478. Denique et in temporibus cibandi potandique peccari poteſt. His quidem indicandis non minus, quam moderandae quantitati, famem ſitimque natura conſtituit. At multa ſunt in vita civili, quae ab homine, non ſoli ventri nato, determinatius aliquid et uniformius, quam ſtimuli naturales dare poſſint, poſtulant. Itaque ea eſt oeconomiae humanae facilitas, ut aliis atque aliis legibus ſeſe adſtringi patiatur, hisque ſemel receptis adſueſcat, nec ideo tamen leviores quasvis ab his receſſiones aegre ferat. Intervallis ita quidem multum diverſis bene veſcimur. Nihilominus nocent ſibi, quorum perpetuo in patinis aut poculis animus eſt; ut ſemper pleno ventri nunquam induciae concedantur. Etenim, ſi digeſtio felix eſt, quantitatis tamen vitium ingruit (448.): plerumque vero non interrupto opere laſſantur viſcera; ut tarde ac male coquant: unde varii generis caco-

cacochylia, hujusque pediſſequa cacochymia ac cachexia (449.).

479. Atque haec praecipua ſunt iſtius argumenti capita, unde intelligere licet, quod in uſitatiore victus ratione noxium ineſt. Plurima quidem praeterea ab hominibus nonnunquam, cibi potusve cauſa, ingeruntur ſingularia, inſolita, cruda, inquinata, corrupta, horrida, venenata, non alibilia, ἄτοπα, quae ſuis ſingula, longe diverſis, modis obſunt. Eo alios compellit penuria, alios depravatus ex graviditate aut morbo appetitus; luxus aut avaritia alios. Quandoque imprudens delectus, neglecta praeparatio, incongrua conſervatio, caſus, aut malorum hominum artes, minusve favens anni conſtitutio, alimentis ceterum ſalubribus vitium indunt, quo vim morbiferam, et vel virulentam quoque conſequantur. Haec tamen cum nimis et multa et ſpecialia ſint, alienum inſtitutis meis videtur, hoc loco exponere.

De Intempeſtivo remediorum uſu.

480. Medicamenta quum aegris ſanitatem reſtituant, morboſas corporis conditiones in ſanas mutandi virtute inſtructa

ſtructa eſſe debent (29. 42. 43.). Eo igitur ab alimentis differunt, quae in naturam corporis mutari fas eſt, ut hoc nutriendo conſervare queant.

481. Pertinent adeo remedia ad res ſanis non neceſſarias; ut quos, quales ſunt, conſervari, non mutari oporteat. Proinde ſupervacuus eſt eorum, quibus ſani commode caremus, uſus, dumne detrimentoſus: ingeſta enim, quod mutandum ſit, non inveniunt: inertia ergo per corpus tranſeunt; aut naturae robore ſubacta in alimentum convertuntur; aut ſi pro ſuis agunt viribus, etiam periculum eſt, ne, quod ſanum eſt, mutando morbum faceſſant.

482. Nec obtentui eſt, quod varii dentur ſanitatis gradus, quodque, quorum imperfectior ſanitas eſt, cum veluti pro aegris haberi poſſint, ad valeſcendum medicina egeant. Neque enim in arte eſt, quas natura conſtituit, omnes ſanitatum differentias cöaequare; tutiusque, quod hac in parte praeſtari poteſt, conſentanea vitae ratione, quam medicamentis, obtinetur.

483. Idem de prophylaxi dicendum, quae ſi continuo per remedia, praeprimis, ut fieri ſolet, valentiora quaeritur, haud

haud raro in prophaſin morborum convertitur, *etiam eorum, ad quos auertendos medicina data eſt. Sic acida vegetabilia, ſolutis fluidis et inducta ſolidis partibus debilitate, diſpoſitionem ad febres putridas induxiſſe obſeruatum eſt.*

484. In univerſum itaque hic abuſus nocet ſanis, praeſidia adverſae valetudinis in ſecunda conſumendo, adſuetudinem cum menti, tum corpori, inducendo, qua tandem neceſſaria reddantur, particulis alienis, indomabilibus, ſuccos inficiendo, vi non propria partes laceſſendo, fatigando, regulares naturae motus interturbando, ejusque penſum ingeſta materie non alibili aggravando. His ſi adjungas ſingulares inſuper agendi vires, quibus diverſa remediorum genera pollent, haud difficile eſt colligere, cur hoc errore impliciti toties ſuo ſcopo excidant, morbosque ac mortem properatam pro laetiore ſanitate reportent. Alterantia quidem, quae dicunt, niſi draſticae fuerint poteſtatis, utcunque tolerabiliora ſunt, minusque ac tardius nociva. Evacuantium vero, ut frequentior abuſus, ita effectus peſſimi. Obſunt certe eo, quod aut plus juſto ejiciant, aut cum inutili etiam utile, quod retineri

neri debebat, aut nimis praecipitanter *et cum nociva irritatione*, aut tempore modove incongruis, aut non ſuis locis (401.). Nocent et emunctoriis ſtimulo, attritu, dilatatione, anaſtomoſi, diapedeſi, diaereſi (203. 1. 2. 3. 4.), infirmatione, incontinentia, infarctu, confuſione. Naturae praeterea ordinem turbant, intentiones fruſtrantur, ſolicitant imparatam, *ſtimulos peregrinos inducunt*, *vix ſaepe reſtinguendos*, his adſuefaciunt, ad ſuos ſurdam reddunt, incitant ad id, quod male ejectum eſt, reparandum, nec alio ferme fine, quam ut praeſto ſit ad excernendum (391.): unde, ubi reparati excretio tardat, multitudine angitur, expellere molitur urgetque irrequieta. Sic tota demum huic ſtudio addicta vires ſuccosque corporis, et alimoniam, conſumit in conficienda materie mox oneri futura. Haec ſi vel valentiſſima corpora tandem peſſumdare debent, quanto citius certiusque valetudinarios, debiliores, qui nimis frequenter ex hoc abuſu robur ſibi vani promittunt?

Non ſane eget natura, ad ſuperflua eijcienda peregrino in ſano ſtatu auxilio, ipſa ſibi ſufficiens. Pueri, qui crebro purgantur, dum adoleſcunt, aduerſae valetudini eo magis expo-

ſiti

ſiti eſſe ſolent, quo magis iis aluus praeter neceſſitatem medicamentis laxata fuerit. Neruorum morbos, euacuantibus omnis generis in vſum vocatis temere produci quotidiana obſeruatio docuit peregrina in neruoſo ſyſtemate inducta irritatione, nullo ſaepe auxilio ſuperanda *).

485. His addi poteſt, nocere etiam haud raro remedia, tametſi ceterum congrua, ſicubi ad affectus, naturae per conſuetudinem familiares, qui medicati quid in ſe habent, tollendos temere adhibentur: ſanati enim longe deteriora ſaepe mala poſt ſe trahunt.

De Potentiis, quae virus habent.

486. Si quid perexigua mole ingeſtum corpori humano, aut a foris admotum, vi ſingulari, nec moli reſpondente, effectus producit exſpectatione longe majores, qui in perniciem vitae ac ſanitatis tendunt, id venenum dicitur.

487. Tantus quidem id genus rerum numerus eſt, et tam differentes agendi modi; ut ſpeciatim ſingulas hoc loco expo-

*) conf. TISSOTI *librum traité des nerfs et de leurs maladies. Tom. II. Part. I. pag.* 228 *ſeq.*

exponere vix ſinat inſtituti ratio. Merentur tamen in genere conſiderari.

488. Venenorum nonnulla acritate mechanica (292.) infeſtant, aequiparanda potentiis, quae fracturas ac vulnera (217. 218.) inferunt. Ingeſta igitur partes internas, exquiſito ſenſu *et motu vitali* praeditas, irritant, pungunt, ſcindunt, lacerant. Unde dolores, ſpasmos, vulnera, haemorrhagias, inflammationes, ulcera creant certo fere lethalia; quum domari, detergeri, aut ad inertiam redigi in viſceribus perpetuo motis vix queant.

489. Ineſt aliis acre chemicum (293.), manifeſtum, occultum, multiplex, quo quidem et ſimilibus, ac priora (488.), injuriis ſaevire in partes, et humoribus ſolutum, motu ac calore corporis actum, etiam altius penetrare et multimodis intendi poteſt (301.). Horum adeo effectus intelliguntur ex (306.).

490. Quaedam vi ſeptica tam vehementer in humores graſſantur, ut late diffuſa putredine corpus inde colliqueſcat diffluatque, ſolidis non minus, quam fluidis, ſua cohaeſione deſtitutis. Conf. (161. 2. 288. 310. ad 314.): unde et, quas inferunt, noxas perſpicere datur.

491.

491. Aliorum deleteria poteſtas vaſa conſtringit, humores inſpiſſat, *coagulat*, meatus occludit, motum ſupprimit, circuitum vitalem, ſecretiones, excretiones retardat, ſufflaminat; ita ocyus aut ſerius mortem infert.

492. Longe plurima tamen, eademque perniciosiſſima, ipſum vitale principium (169. et ſeq.) invadunt, hujusque motus aut irritatione violenta perturbando, aut vehementiſſime incitando, aut et injecto torpore ſuſpendendo (195. 199.), *aut vtrisque mutationibus inductis*, functiones vitae peſſumdant. Quin credibile eſt, reliquos etiam venenorum in ſolida et fluida effectus (488. ad 491.) magna ex parte iisdem vitalium virium motibus vitiatis deberi; hos certe pediſſequos habere, eoque magis eſſe exitiales. Hac igitur poteſtate inprimis virulentae gradus malignitatis videntur metiendi.

493. Ex quo intelligere licet, quamobrem ſenſuum motuumque, qui voluntati parent, facultates plerumque triſtiſſimas in turbas conjiciantur; ut ipſam mentis arcem ab iſto hoſte oppugnari dixeris (179. 209. n. 3.)? Et cur naturae vires raro hic multum valeant (180.)?

Et quam prope a venenis absint medicamentorum efficacissimorum permulta; ut omnino ambigere inter utrumque genus videantur, ad utrumque pertinere? Vires medicatae et venenatae, qua proximis gradibus sese contingunt, exigua molis differentia invicem convertuntur.

494. Haec vero uti sic satis apposite generalem toxicorum efficaciam declarant; ita nequaquam tamen sufficiunt ad privam singulorum vim exponendam, qua fit, ut alia prae aliis velocius aut lentius, inque alias et alias partes ac functiones, modisque longe diversissimis, inexplicabili plane varietate, suam saevitatem exerceant. Parum profecto vel acutissima etiam ingenia hic promoverunt.

495. Nec minus difficilis indaginis istud quoque est, quod venena quaelibet non cuivis indiscriminatim homini aeque noceant, nec et eidem quovis demum modo admota. Alia quippe vapore aëri permixto, in spiracula corporis admissa, operantur; alia maxime, cum deglutiuntur; alia in vulnere tantum, quae quidem inertia reddere vis ventriculi valet; alia aliis modis; nonnulla etiam quibuscunque. Haec uti obser-

obſervando diſcimus, ita, qua fiant ratione, explicatu arduum eſt.

496. Miaſmatum noxiorum, quae aëra inficiunt (440.), haud abſimile eſt ingenium: quanquam enim non adeo ſemper vi deleteria agunt; agunt tamen parva mole, ac materia ſaepe ſenſibus vix manifeſta, modisque ſingularibus, et morbos creant refractarios, malignos, quos vis naturae difficulter ſuperare valeat (486.). Nec infrequenter corporum virulentorum effluvia ſunt. Quocirca omnino ad venena referri merentur.

497. Haec inquinamenta quam multiplici origine in atmoſphaeram ſubvehantur, utcunque quidem ex (440. ad 444.) intelligere eſt. Nec difficulter perſpicitur, ob ampliſſimum, quod viventibus cum aëre intercedit, commercium (422.), plurimas patere vias, quibus admitti queant, ſolidaque ſtimulando, torpefaciendo, ſuccorum craſin motumque turbando nocere. At cum propriam ſingulorum naturam, viresque privas, ac agendi modos eruere aggredimur, effectuumque tantopere diſcrepantium rationem reddere, aqua non minus haeret, quam in hiſtoria veneno-

rum (494. 495.), nec, praeter generalia (488. ad 494.), quidquam certi determinare licet.

498. Hujus etiam loci ſunt contagiones, quarum virtute velut genitali id genus morbi ſuam ſpeciem propagant et communicata multimodis labe per homines graſſantur. Agunt certe et virulenta poteſtate (486. 496.), et ſuo quaeque modo ſibi proprio, et in alias atque alias corporis partes (494.), *vt adeo, quae extus illata, niſi medicina efficaci ſuccurratur, mortifera ſunt, in ventriculum delata innoxie ferantur*, effectusque ſtatos quidem, at longe diverſiſſimos, *pro corporis natura, in quod deueniunt*, producunt. Unde conſtat, uti origine, ita naturis, magnopere inter ſeſe diſcrepare, et ſuas ſingulis inditas eſſe certas vires, quibus, cum per congruas vias in corpora devenerint actioni faventia, ſuam quaelibet morbi formam diſtinctam conſtanti lege haud aliter procreënt, quam plantarum animaliumve ſemina, aptis concepta locis, in ſuam ſingula determinatam ſpeciem evolvuntur. Quo fit, ut diverſo cuivis contagio ſuus reſpondeat *proprius et* ſingularis morbus, horumque totidem differentia genera, quot contagio-

giorum, numerentur, nequaquam inter ſeſe confundenda.

499. An igitur omnis contagio animata eſt, ſuamque quaelibet habet ſingularem, unde oritur ac multiplicatur, animalculorum ſpeciem? Quod peculiare nonnullis, *ſcabiei praeprimis*, eſt, haud ſatis tuto per analogiam univerſo generi tribuitur. An vis phantaſiae, an metus, contagiorum mater? Violentos animi motus ad virus generandum, acuendum, conferre poſſe, indubium eſt: *valentiſſima adeo peſtis averrunca mens fuit metus et triſtitiae expers:* at ſi vel ſoli etiam meticuloſi tantum inficerentur, ipſis tamen ſenſibus conſtat, ſingularem in veris contagiis materiem intervenire, qua ſine reliqua vix quidquam poſſint. Utrum immutabilis eſt, rerumque principiis hac dote aequiparanda contagiorum natura? Et, ſi eſt, an inde ſequitur: eadem oberrare chorda, et qui ſpecificum quaerat antidotum veneno contagioſo oppoſitum, et qui de metallis vilioribus in aurum transmutandis ſatagat? Dubia propoſitio, concluſio falſa BOERHAAVIUM non tangit, etiamſi ab Archiatro Regio pronunciata.

500. *Contagionum aliae, acutae, aut per aerem propagantur, aut contactu immediato intercedente in alios transfluunt, aut etiam cum excipientibus variis, mercibus, vestibus, lana, caet. in remotiores terras transmitti patiuntur. Intercedit et aeris athmosphaerici dispositio singularis, ignota quoad naturam suam penitus, quae exsolutioni et propagationi contagionis occasionem praebet. Sua tamen cuique contagioni, tam epidemicae et acutae, quam sporadicae et chronicae, athmosphaera esse videtur, quam si studiose vitaueris, ipsum contagium vitabis. Pestilentiae adeo contagium vix magnopere metuendum esse, dummodo infectorum contactus absit, nuperae obseruationes probare videntur. Chronicae et sporadicae contagiones omnes vix, nisi contactu immediato, neque in quacunque cutis parte, intercedente, in alios transeunt. Quae enim de horum morborum propagatione per solam athmosphaeram dicta sunt, non satis expedita videntur.*

500. Attendi praecipue meretur, qua contagia pollent, mirabilis illa facultas sanos humores in sui similitudinem convertendi. Hac nititur stupenda eorumdem multiplicatio. Nec sese tamen exserit, nisi vi vitae in corpore idoneo excitata; ut omnino dubites, utri potior effectus pars debeatur.

Data

Data certe eſt naturae humanae poteſtas aſſimilandi, qua in augendo ſuſtentandoque per alimenta corpore ſuo utitur. Nec facile tamen dixeris, hanc eſſe, qua gliſcat contagium vitae tam inimicum; niſi corruptionem neges quidquam a coctione differre, et quod natura violenter patitur, perinde habeas, atque illud, quod dedita opera in corporis ſui conſervationem peragit.

Qui vim generandi contagiis inditam ponunt, hypotheſi utuntur nondum demonſtrata (469.).

Nec magis ſatisfaciunt, qui unica a ſolidis vivi corporis per virus in ſingulares inſolitosque motus ſtimulatis omnem hanc efficacitatem repetunt; quaſi parum conſtaret, poſſe etiam effluvia, odores, fermenta, ſtupendas ſubito inducere mutationes liquoribus, in quos continentium nulla eſt vaſorum actio. Ecquis autem credat, priorem clarius intelligi, quam poſteriorem agendi modum, inque corpore, cujus et partium et virium tanta eſt conſpiratio, mixtioni nihil, oſcillationibus omnia deberi in permutanda humorum craſi?

Fermenta quoque, latiore Chemicorum ſenſu accepta, quanquam propriam

ſibi habent aſſimilandi virtutem, quae ab actione contagiorum minus abludere videatur; minime tamen hanc rem conficiunt; ut quorum idea haud univerſe quadrat, nec ratio minus, atque ſtimulorum, inexplicabilis eſt.

Quare credibile potius, non uno eodemque modo omnia et ſingula ſeſe multiplicare, et vero forſan propiorem fore, qui diverſarum ſententiarum nulli ſeorſim addictus omnes in unum colligat. Nihilominus cum ne ſic quidem certa hujus materiae explicatio tradi queat, inutile fuerit, vaga incertaque ratiocinatione multa moliri, quae opinionem modo, nec ſcientiam, parere valeant.

Errores in motu animali.

501. Motus muſcularis, quem homo pro arbitrio exercet, ita cum reliquis corporis vivi motibus cohaeret, ut exceſſu defectuve paulo majore peccare nequeat, quin ocyus, ſerius, oeconomia conturbetur. Ex iis igitur, quae alternantes muſculorum actiones comitari ac conſequi in corpore obſervantur, mutationibus, ſponte innoteſcent, quos motio aut quies modum excedens inducit, effectus morboſi.

502.

502. Musculus vi sua sese contrahens brevior fit, crassior, durior, turget, figuram suam situmque ratione partium vicinarum mutat, movet sese et tota sua mole, et quavis fibra sua, movet et partes, ad quas pertinet, quasque contingit, et si quem habet antagonistam, et quae huic contiguae sunt, partes. Cum vero deinde contentionem suam remittit, et ipse in statum pristinum redit, et restituuntur, quaecunque dimota fuerant. Itaque ab initio contractionis ad ἀκμὴν usque, et inde ad plenam usque relaxationem, omnes illae partes in continuo motu sunt eoque multum variante.

503. Nec constat voluntariam musculi contractionem ita a motibus vitalibus pendere, ut, quae accrescit musculo, velocitas de summa illorum decedat. Imo vero novus veluti hic motus illis superadditur. Universa ergo motus atque adeo attritus quantitas in corpore tum augetur pro numero ac vi agentium reciproce musculorum.

504. Quocirca multiplex sub exercitio musculari infertur vicinis canalibus, loculis, receptaculis, pressio, remissio, distractio, arctatio, quae cum inde in contenta transeunt, his quoque motus

ſuperpondium conciliatur, quo fit, ut ſtagnantia moveantur, fluentia promoveantur, mutua ſolidorum fluidorumque inter ſe actio, et quae hinc conſequuntur, intendantur.

505. Ita quilibet muſculus, alterne contrahens ſeſe et remittens, ſuo ſyſtematis vaſorum tractui novam applicat vim, quae humores urget pellitque fortius, quo circulationis legibus determinantur. Eorumdem motus ergo accelerari debet.

506. Eadem cauſa ſanguis venarum, copia ac impetu majore, protruſus infuſusque cordi irritamentum fit, quo hujus contractionum numerus ac vis intenditur. Inde conſenſu expedito et reſpiratio incitatur, et arteriarum properantur motus per univerſum corpus.

507. Continuata igitur muſculorum actione vires vitales, quibus humores circumducuntur, quaquaverſum animantur, noviſque (503. 505.) jugiter augentur. Creſcit adeo circulationis vigor, attritus, calor, quaeque ex his pendent, cum conditiones corporis, tum functiones intenduntur.

508. Magnum praeſertim, nec uno nomine, adjumentum naſcitur officinis in-

instrumentisque, quibus alimenti coctio, defaecatio, distributio, assimilatio perficiuntur; ut adeo nutritionis opus feliciter procedat. Atque haec sunt publica exercitationis modicae emolumenta.

509. Unde constat, quasnam immodica noxas inferat oeconomiae humanae. Quippe, quo ipsa excedit gradu, eodem velocitatem circumeuntium humorum auget (409.); quocirca, quae inde oriuntur, mala in genere reduci queunt

1. Ad caloris nativi augmentum enorme, quo agitati attenuatique succi, dissipata parte subtiliore, spissantur, serum ac fibra sanguinis diathesin inflammatoriam (367.) induunt, sales dein ac olea continuato attritu acuuntur, solvuntur, volatilia, acria, putrida, rancida, foetida, ambusta redduntur (424. n. 7.), hinc circuitui vitali ineptissima.

2. Ad partium continentium laesiones valde periculosas. Etenim rarefacti magnoque impetu propulsi humores sua vasa ultra modum dilatant, irritant, deterunt, rumpunt, destruunt: unde errores loci (397. ad 406.), dolor, inflammatio, febris acuta, suppuratio, gangraena, haemorrhagia, aut vitalibus visceribus

san-

ſanguine accumulato obrutis ſuffocatio ac mors ſubitanea.

3. Ad ſuccorum, qui ſub moderata circulatione reſtagnant, commotionem, ut ſuis excuſſi ſedibus evagentur.

4. Ad multifarias denique ſecretionum excretionumque turbas, quarum vi omne genus vitiorum qualitatis, quantitatis, motus, loci, in materias, quae ſecerni et excerni debent, invehitur.

510. Mobilior itaque et volatilior fluidorum, quam ſolidorum, natura facit, ut exercitio immoderatiore jactura inaequalis inferatur, hinc mole illorum decreſcente ſolida praevaleant, exſucca corpora areſcant, rigeſcant. Aqua et ſpiritu, parte humorum tenuiore, disflatis, craſſamentum ſupereſt (284.) iners, tenax, immeabile per vaſcula minora: unde horum ac parenchymatis exſiccatio, contractio, concretio, univerſae adeo compaginis rigiditas major (164. 166.). *A motu muſculari intenſiſſimo diuque continuato humores attenuantur, ſoluuntur, et ad putreſcendum diſpoſitionem induunt* (288.). Pingue, qua ſtagnat in ſuis loculis, commotum, eliquatum, ſanguini redditum, attritu et calore ex blando in acre, rancidum, degenerans (375.), per emunctoria

ctoria expellitur: hinc celeris emaciatio (395.). Gelatina nutriens (379.), solidorum fibris undique interfusa, deteritur, exprimitur, acrior per motum facta excernitur, parte tenuiore expressa solidescit: inde defectus nutritionis, augmentum rigiditatis. Bilis quoque nimium commota, adusta, in summam acuitur acrimoniam, qua et primas vias infestat, et suos egressa cancellos in reliquum etiam corpus sua malignitate grassatur.

511. Ex dictis (509. 510.) liquet, solum motus animalis excessum solida fluidaque corporis tam vehementer a statu sano alienare posse, ut vel venenatis etiam viribus (486.) agere videatur: et cum in universum fere semper et cuivis noceat, ac raro prosit, nocere tamen maxime, inter sanos, aetati tenerae, sexui sequiori, temperamento bilioso, sicco, calido; tum vero plethoricis, valde obesis; cacochymicis, in haemorrhagias, aut abortus proclivibus, et quibus viscus aliquod totumve corpus contabescit, et qui spiritus laborant difficultate, et calculosis, iisque, quorum circulationi pertinaces obstant canalium obstructiones, tumores, humorum congestio-

gestiones, etc. His ubi et insuetudo accedit, aut ingens aëris aestus, aut ex cibi potusque defectu inanitas, aut subitus a statu quietis ad vehementem motum transitus, tanto pejores inferri noxas necessum est.

512. Minoris momenti sunt, quae ipsis musculis nimium exercitatis eveniunt, mala: lassitudo, debilitas, tremor, dolor, spasmus, impotentia ad motum. His tamen quies fere pro remedio est. Siccitas autem, rigiditas, tendineae naturae multiplicatio, quas labor excedens carnibus musculorum inducit, non aeque facile tolluntur.

513. Haud laetior est illorum sanitas, qui in opposito errore versantur. Nimia quies et potentias motrices, et, quae movendae sunt, partes in torporem conjicit. Vis musculosa desuetudine contractionis, congesto pingui, languore influxus vitalis, minuitur, suffocatur; articuli, rigescentibus per otium ligamentis, axungia coëunte (222.), aptitudinem ad motum amittunt; antagonistae magis renituntur. Ita neglectus animalis motus demum impotentiam parit.

514. Plus tamen damni et humorum circuitus ob hanc causam patitur; ut qui

so-

ſolis commiſſus vitae viribus, extraneis deſtitutus ſuppetiis (507.), per vaſcula minora primum, dein per univerſum ſyſtema langueſcit: unde humorum ſtagnatio, accumulatio, inviſcatio, caloris nativi imminutio, ſecretionum ac excretionum impedimenta, et quae ex his oriuntur, mala quamplurima. Ex hoc fonte igitur polychymia (385.), plethora (387.), obeſitas (394.), profluunt, quae ſarcinis corpus gravant firmarum partium mole ac vi majoribus. Plenitudini cito ſuccedit cacochymia iners, glutinoſa (283.), aquoſa (287.), frigida, univerſum corpus inundans, qua laxum, molle, flexile (160. 162.), ſolidis inducitur, vis vitalis torpet (196. 198.), vigor nerveus perit, colluvies ſeroſa, leucophlegmatia, hydrops varius, pigritia ad motus, ſenſuum hebetatio, ἀναισθησία, omnium functionum ſuffocatio tandem naſcitur.

515. Prae ceteris peſſime afficiuntur, quae abdomine continentur, organa primae digeſtionis; maxime ſi etiam prono corpore ſedenti comprimantur, atque alimenti copia et qualitas haud reſpondeat vitae deſidi. Namque reſpiratione vegeta, motu externo, ſuccuſſione, non ad-

adjuta in opere ſuo tardant, alimentum imperfecte coquunt, lente propellunt, mora longiore corrumpi ſinunt, utile haud ſatis emulgent, nec depurant, faeces accumulant: unde omne genus vitiorum chyli (323. ad 232.), ructus, flatus, ſpaſmus, anxietas, alvus tarda et tumens, anorexia, univerſae officinae infirmatio, menſtruorum inertia, degeneratio varia, meſenterii vaſculorum obſtructio, aliaque innumera mala naſcuntur. Ingens praeterea ſuccorum multitudo, qua viſcera illa perfunduntur, ſolis eorum viribus, extranea ope deſtitutis, haud ſatis promoveri poteſt: languet ergo circuitus; fit humorum congeſtio, ſtagnatio; ſanguis tarde redux, rarius pulmonum aere animatus, nec vigore cordis incitatus, in vappam abit, infarcit venae portarum ſyſtema, ſplenem, hepar, cetera. Nec mirum adeo bilem denique vitiari (372), cacochymiam, ſcorbutum, cachexiam, icterum, hydropem, malum hypochondriacum, et alios id genus morbos inde produci.

Dam-

Damna ex posituris et motibus singularibus.

516. QUAM in plerisque rebus suis affectat amatque natura, variatio et mediocritas in partium corporis motione ac positu quoque conducit. Nocet, quidquid hic justo violentius est aut nimis diuturnum sine remissione; nec in aegris tantum evitari debet, sed vel in sanis etiam causa morborum fieri potest.

517. Status, ultra modum protractus, artus inferiores humoribus tarde ad cor redeuntibus gravat: unde infarctus, oedema, varices, ulcera. Lumborum quoque, renum, coxarum, passiones hoc situ contrahuntur: ut et genitalium vitia ex humorum congestione, et herniae inguinales (233.), crurales (234.), in feminis fluxus uterinus, fluor albus, abortus, uteri vaginaeque procidentiae (250. ad 254.); maxime sicubi et nixus subinde accedens pressionem auxerit ac partes gravitate deorsum vergentes etiam protruserit. *Musculis autem infernorum articulorum, dorsi, colli adstrictis et* sanguine difficilius versus cor remeante, et inde ad caput escendente, cum homo diu stat immobilis, haud mirum,

magis, quam aliis exercitiis, laſſari et vel animo linqui.

518. Seſſio quieta, immodica, ut minus fatiget, nihilo tamen ſalubrior eſt, praeſertim corpore pronato multumque flexis genubus. Similia hinc mala artubus inferioribus, lumbis, renibus, coxis, fiunt (517.): tum et curvitas dorſi, obliquitas ſpinae, crurum ſtupor, iſchias, claudicatio: ex impedimento denique abdominis viſcerum vitia modo (515.) enumerata.

519. Decubitus excedens, ſyſtemati uropoeo nocivus, renes comprimit, obſtruit, inflammat, ſecretioni, propulſioni, excretioni lotii obſtat: unde mucus, ſabulum, calculus, horumque ſequelae. Officit et ſitus horizontalis caput humoribus replendo: unde cephalalgia, ophthalmia, haemorrhagia, ſenſuum hebetudo, vertigo, ſopor, etc.

520. Multos praeprimis ac graves affectus producit ſubita, violenta muſculorum contractio, diu continuata, absque remiſſione, accedente etiam, qua nixus intendatur, ſpiritus inhibitione. Etenim vehemens tractio, preſſio, diſtentio, arctatio, propulſio, vim infert partibus, mutuam inter continentia et con-

contenta rationem omni modo variat, motum ac directionem humorum valdopere mutat; maxime cum, anima etiam compressa, sanguinis per pulmonem trajectus suspenditur. Inde musculorum tendinumque de suis sedibus excussio (243.), armillarum, vinculorum, ipsorumque tendinum relaxatio, ruptura, articulorum distorsio, subluxatio, luxatio (226. 227.), ossium fractura (217.) aliaque nexus situsve vitia (224. 229.), herniae (230.), prolapsus (248. et seq.); meatuum ac receptaculorum dilatatio, anastomosis, diapedesis, diaeresis (203.), aneurysma, varix; fluidorum aberratio omnifaria (397. ad 405.), haemorrhagia, haemoptoë, mictus cruentus, sugillatio, emphysema, tumores varii, et quae ex his oriuntur, mala innumera.

521. Haec si quis ad varias corporis partes, ut suis singulae musculis mobiles sunt, aut, ob viciniam consensumve qualemcunque, illis agentibus diversimode affici debent, applicat, is facile intelligit, quot qualesque noxas inferre tussis, cachinnatio, sternutatio, oscitatio, pandiculatio, declamatio, vociferatio, cantus, tubarum inflatus, saltus, lucta, cespitatio, bajulatio, gravium elevatio, aliae-

que id genus motiones, ſicubi enormes fuerint, queant.

Exercitationes Mentis immodicae.

522. ATTENTIOR contemplatio eorum, quae quisque in ſemet ipſo facile experitur, affatim docet, mentis actionibus haud minus, quam corporis exercitiis, vires diſſipari, alternamque requiem illis aeque, ac his, interponendam eſſe, ut ſanitas perſtet.

523. Mens nimirum corpori ſuo, dum vita viget, intime implicata eſt; ut difficulter concipere liceat tam exquiſite puram ejus operationem, quae prorſus nihil corporeae mutationis quoquo modo ſibi innexum habeat. Praeterquam enim, quod multas cogitationes determinati ſequantur motus corporis, ſenſoria quoque cum externa, tum interna, materiem occaſionesque cogitandi vix absque aliqua motionis ſuorum ſtaminum ſpecie miniſtrare poſſe videntur. Oportet itaque, cum mens in ſua officina actuoſa eſt, hujus organa plus minus cieri, tendi, laxari, oſcillare, inter ſeſe agi-

agitari, quomodocunque ſaltem aliter ſe habere, quam ubi ab opere feriatur.

524. Praeterea veroſimillimum eſt, ſyſtema nervoſum, qua ſenſui praeeſt, vi quadam motrice animari, vitali muſcularive virtuti (170. 502.) forſan aequiparanda, qua agente ſtamina ejus tendi, rigeſcere, turgere, concipiendis ad irritamenta oſcillationibus aptari queant, viciſſimque remitti ac flacceſcere, cum otiatur. Nec refert, utrum a ſpiritu, quem vocant, animali, per nervos diffuſo, eadem repetas, an quovis alio modo ab ortu putes inditam, mecumve in re obſcura opinando nihil augureris. Agnoſcendum tamen videtur, aliquod menti in eam conceſſum eſſe imperium, quo excitare ſilentem pro lubitu poſſit ad agendum tam in univerſo corpore, quam in ſingulari parte: perinde ut muſculi etiam arbitrio parent.

525. Conſtat autem ſentiendi illam vim (524.) cum vi vitali communicare; ut altera alteri pro irritamento eſſe poſſit (179.). Quin et mutuum forte inter eandem et muſcularem vim commercium viget, quo fit, ut nervorum interventu juſſa mentis ad muſculos deferantur: niſi mavelis idem utrobique motus

principium dari, at quod pro differente partium, quas animat, conformatione diversimode agat. Utraque certe et nervorum et musculorum virtus non inexhausta est; nec continentem fert laborem; nec fatigari altera sine alterius detrimento potest.

526. Quanquam igitur, quae in sensoriis cientur, agitationes motibus musculorum longe minus manifestae sunt; facit tamen summa medullae nerveae teneritudo, ut haec vel gravius etiam, certe nihilo levius, ab immodica exercitatione affici mutarique debeat, quam musculi ab excessu motus animalis (512.), nec dispares inde contrahere laesiones. Mollissima nimirum stamina quovis demum modo (523.) frequentius, diutius, vehementius commota, inter sese attrita, lassantur, tonum amittunt, tremores irregulares, injussos, concipiunt concitantque praeter ordinem in vicinis, spasmo velut obrigescunt, aut flaccida resolvuntur; vis ipsa nervea (524. 525.) elanguescit, dissipatur. Ex quibus, nisi tempestiva requie leventur, sensuum externorum internorumque hebetudo, impotentia, idearum confusio, somni turbulenti, pervigilium, imaginatio depravata,

vata, delirium, fatuitas. An et, quae musculis assiduo labore evenit (512.), siccitas, rigiditas, in his quoque organis nasci potest, qua senile vitium in facultates mentis ante tempus invehatur?

527. Ingravescunt autem haec mala, novisque augentur, quum sensorii communis agitatio etiam apparatum encephali vasculosum in motus enormes ciet, ac majore sanguinis copia caput opplet. Unde partium distensio, dolor, calor, inflammatio, atque ex his nascens actionum mentis multiplex perturbatio. Quin et consensio mutua principiorum motus (525.) facit, ut viribus nerveis (524.) nimium intensis, lassatis, dissipatis, reliquorum systematum vires similia patiantur, hinc corpus absque labore suo fatigetur, omniumque ejus functionum consequatur laesio.

528. Accedunt vitia ex motu animali neglecto (513. ad 515.), vitaque sedentaria aut stataria (517. 518.), literarum studiosis familiari, quae uti ex se sat gravia sunt, ita magis etiam properantur ac invalescunt, ubi robur corporis inquieta cogitatione minuitur.

529. Excessus tamen cum varietate studiorum tolerabilior est: at vehemens

cogitationum in eandem rem intentio, non interrupta, rari ſunt, quibus non magnopere noceat. Etenim pars illa ſenſorii communis, quae ſola in actione eſt, et in quam tota veluti mens omni ſua vi incumbit, violentiam patitur haud minorem, quam muſculi ſingulares fortiter diuque contracti (520. 526.). Itaque aut ſtamina eius tam pertinaciter ariguntur, ut remitti dein nequeant, aut oſcillandi finem non faciunt acrius commota, aut nimium diſtracta tenorem denique amittunt. Unde omne genus mentis perturbationum, melancholia, ἔκστασις, mania, catalepſis, fatuitas, ſenſuum impotentia, virtutis nerveae reſolutio, et ſimilia naſcuntur.

530. Neglecta mentis cultura organis quidem ſenſoriis torporem inducit, vim nerveam hebetat ac exſtinguit, facultates animi aut omnes, aut ſingulas, labefactat, ut vel univerſae, vel aliquae, inertes otientur. Ceterum tamen, niſi et motus animalis intermiſſio acceſſerit, reliquis functionibus haud adeo obeſt, ut non ignavos videas ſtupidosque crebrius fere, quam ingenioſos, ad ultimam uſque ſenectutem firma corporis valetudine perfrui.

531. Ex his (508. ad 530.) inter ſe collatis manifeſtum eſt, exercitationes mentis, quam corporis, ſuo exceſſu longe magis infirmare ſanitatem. Patet etiam, cuinam aetati, ſexui, temperamento, acriora ſtudia et lucubrationes minime conveniant? Cur profunda meditatio magis fatiget, quam motus muſcularis? Quare iis, qui gravi morbo exhauſti revaleſcunt, tam pernicioſa plerumque animi intentio, ſaluberrima autem corporis moderata exercitatio?

Vis noxia Animi perturbationum.

532. INEST in animo impetus, quo fertur in ea, quae, quod vel bona, vel mala, vel inſolita ſint, ſaltem talia videantur, placent, diſplicent aut percellunt. Is ſicubi commotionem in homine excitat majorem, quam quae rectae rationi conveniat, haec animi perturbatio dicitur.

533. Comitatur adeo hanc (532.) et prodit actionum illarum, quae ex mutua animi corporisque conjunctione fluunt, major minorve a juſto tenore alienatio. Unde conſequitur, ut in eo ſtatu organa quoque, ſenſibus motibusque

voluntariis dicata, turbis agitentur, viresque, quibus animantur (502. 524.), in vitiosos motus aberrent.

534. Quin docet etiam observatio, cordis arteriarumque motus, calorem, colorem, habitudinem corporis, una tum alterari; universum ideo circulationis ambitum, et, quibus haec nititur, vires vitales (170.), quasque sub se habet, quarumvis partium actiones praeter ordinem affici.

535. Quae si quis, prout latissime patent, recte perpendit, ei dubium videbitur, utrum animi ea magis, quam corporis, perturbatio dicenda sit; quando totius oeconomiae humanae functionum nulla est, quae ab hoc impetu immunis perverti nequeat.

536. Quocunque autem modo isthaec (532. ad 535.) in homine fieri concipias; sive mente imperante; sive caeco instinctu; seu incitante quadam vi, menti indita, a reliquis ejus facultatibus distincta: illud certum, deberi ea quidem mirabili, quod inter bina hominis principia viget, commercio: at hoc ipsum tamen leges limitesque, quibus in statu tranquillo adstringitur, tum adeo excedere, ut, qui eduntur, effectus prorsus inso-

insoliti, ejusque viribus longe superiores videantur; saltem, quo minus data occasione nascantur, impediri, aut nati supprimi pro arbitrio vix possint.

537. Nimirum, quae homini data sunt, bina actionum systemata, alterum menti cum corpore commune, alterum si non mere corporeum, certe a conscientia semotum, etsi diversis legibus reguntur, contubernalia tamen in uno corpore sunt, ac mirabili commixtione per singulas partes diffusa, instrumentis inter se contiguis, connexis, aut et communibus gaudent, viribusque animantur aut iisdem, aut inter sese consentientibus (525.). Quocirca, quaecunque in alterutro cientur, insigniores commotiones quo minus in alterum quoque transferantur, fieri haud potest.

538. Quae quidem medice considerata docent, in animi motibus impetuosas dari agitationes, quae in principio cogitante, hujusque adeo officina, primum natae, inde in reliquum corpus protrusae, exque hoc vicissim eo, unde venere, revolutae, celerrimo itu redituque tam vehementer augescunt; ut, quidquid est virium facultatumque in toto homine, conturbare atque hinc uni-

ver-

versae oeconomiae humanae fundamenta concutere queant.

539. Quanquam igitur in moderatis, qui ratione diriguntur, sua inest eximia utilitas, haud minus physica, quam moralis; magnopere tamen vitae ac sanitati nocere etiam possunt valde violenti; maxime sicubi et subito erumpunt, aut pertinaci duratione inolescunt, aut intus saevientes nequicquam comprimuntur, aut alii aliis celerrime superveniunt sive affines, sive inter sese oppositi.

540. Inde sensuum, motuum, circulationis, respirationis, secretionis, excretionis, coctionis, nutritionis, generationis, etc. innumera ex hoc fonte vitia profluere quotidianum est, quae alias quidem naturae viribus sponte rursum superantur, nec raro tamen in omne etiam morborum genus, et in subitaneas lentasve mortes abeunt.

541. Uti vero affectionum mentis quaeque pro sua diversitate diversas externis corporis partibus actibusque mutationes inducit, quibus, tanquam propriis characteribus, foris expictae sese dignoscendas produnt; ita suo etiam singulae modo peculiari internas vitae sanitatisque conditiones convellunt, vires cor-

corporis motrices opprimendo, exagitando, perturbando. Atque hinc praecipue multifaria illa naſci videntur motus humorum vitia (406. ad 413.), quae in pathematis, prout aut laeta, aut triſtia fuerint, alia atque alia etiam ex pulſu ſeſe manifeſtant.

542. Principia videlicet atque inſtrumenta motus conſenſione accurata ſeſe accommodant propenſionibus et averſationibus mentis emotae, hujusque ideo ſtatui diverſo reſpondentes quoque in corpore mutationes excitantur. Inde gaudii comes auctior, expeditior, circulatio, ſecretio, excretio: ſed et inſomnia, inſania, virium reſolutio, quin mors apoplectica, ubi nimium eſt et improviſum. In amore non abſimilia inſunt: protractum autem rei amatae deſiderium, et aegritudo de perdenda, aut non obtinenda, inquietem, languorem, anorexiam, chloroſin, tabem, noſtalgiam, melancholiam, erotomaniam etc. inducit. Ira impetu efferato nervos, muſculos, ſanguinem, bilem, exagitat: hinc furorem, inflammationes, febres ardentes, viſcerum primae digeſtionis turbas enormes, errores fluidorum omnifarios (397. et ſeq.), et vel venenife-

ram

ram quoque vim creat. Odium ac livor perſeverans, pervigilio, febre lenta, appetitu proſtrato, inedia, pallorem, torporem, maciem, cachexiam infert. Moerore vis nervea languet, tonus partium fatiſcit, motus vitales imminuuntur: unde pulſus tardus, contractus, circulatio lenta, inviſcatio humorum, ſanguinis coagulum, coctionis ac nutritionis defectus, diarrhoeae, obſtructiones, ſcirrhi, melancholia, icterus, hydrops, ſomni diuturni, lethargus, catalepſis, etc. Metu vis muſcularis infirmatur, tremunt membra, ſphincteres reſolvuntur; minuto cordis vigore ambitus circulationis contrahitur, repreſſis intro humoribus pallor fit, ſiccitas, perſpirationis ſuppreſſio, attractio major, anxietas, viſcerum vitalium oppilatio, naturae ad munia ſua impotentia. Terror, prae ceteris pernicioſus, ſyſtema nerveum violentiſſime quaſſando, ſpaſmos, convulſiones, epilepſiam, ſtuporem, imaginationem depravatam, inducit; conſtrictis ſubito vaſculis minoribus humores verſus vaſa majora cogit, cor in palpitationem, pulmones in angorem conjicit, pallorem, frigus, congeſtiones, abortum, parit, evacuationes ſupprimit, ſubito necat. 543.

543. Qnocirca manifeſtum eſt, animi motus violentia, frequentia, duratione enormes, multo, quam corporis, gravius oeconomiam humanam affligere: nocere autem praeprimis, ſicubi et immodicas mentis exercitationes comitantur (522.): poſſe tamen et plurimum prodeſſe, quum aegris accidunt; hinc medicamenti non minus, quam veneni, vim exſerere: difficillimum denique eſſe, quos creant foventve, morbos ſanare, niſi animo in tranquillitatem reſtituto, hosque propterea heteroclitos aut malignos quandoque videri, cum, quae ſubeſt, compreſſa mentis perturbatio latet, phyſiognomiam igitur Medico tum maxime conducere, ne fruſtra laboret.

Exceſſus ſomni ac vigiliarum.

544. VIGILANTI quae per functionum exercitationem de corporis cum materia, tum viribus, decedunt, non ita cibi potusque uſu reparari queunt, ut non interpoſita etiam quiete opus ſit. Inde naturalis ſomni neceſſitas et conſentaneus ſanitati modus.

545. Tametſi igitur et ſomni et vigiliarum, in longiſſimum tempus, ſine inter-

teruptione, protractarum exempla prostant; uterque tamen excessus praeter naturam est, nec impune tolerabilis. Non durabilis vita est, quae alterna requie caret; nec nisi umbra vitae perpetuus somnus.

546. Facit nihilominus aetas, sexus, temperamentum, vitae genus, clima, tempestas, consuetudo, etc. multiplicem in his rebus inter homines discrepantiam; ut difficile sit, suam cuique mensuram per certa tempora definire. Oportet ideo, quae de excessuum noxis dicam, non nisi congrua limitatione ad singulos homines applicare.

547. In vigiliis nonnulla semper datur sensuum externorum, internorum, motuumque voluntariorum exercitatio, minor, major; expedita certe virium organorumque, quae his functionibus dicata sunt, ad agendum alacritas adest. Universa ergo mentis officina aut agit, aut saltem agere gestit. Contra somni tempore, quies horum omnium, relaxatio instrumentorum, virium torpor.

548. Quum vero post aliquanti temporis vigilias sano hebescant sensus, membra graventur, musculorum vis labascat, ipsa mens langueat, mutuique cum

cum corpore commercii pertaeſa ſomnum appetat; liquet, iſtud hominis ſyſtema non ita comparatum eſſe, ut perpetim vigere poſſit.

549. Vigilanti praeterea, ob continentes emporii animalis agitationes, reliquae etiam corporis partes ſtimulantur (179.), vires motrices quaecunque excitantur (507. 508. 525. 527. 537.). Unde circuitus ſanguinis, attritus, calor, attenuatio humorum, mutatio, ſecretio, excretio, intenduntur, quae hoc incitamento deſtituta in dormiente imminuuntur.

550. Intelligitur inde, pervigilio noxas inferri organis ſenſoriis motoriisque, vires horum exhauriri, ſtamina atteri, vibrationes in his cieri inordinatas, a mente non regundas: unde ſeries cogitationum male cohaerens, phantaſia luxurians, impreſſio idearum non delenda, delirium, vertigo, cephalaea, agrypnia.

551. Auctiore inſuper humorum motu (549.) ſubtilia diſſipari, bilem acui, ſolida deteri, pingue conſumi, adeoque corpus exſiccari, emaciari, bilem atram generari, haemorrhoides, febres, delirium melancholicum, inquietudinem

perpetuam, ſomni fugam induci. Haec vero prioribus (550.) juncta quam vehementer univerſam oeconomiam turbare poſſint, quisque videt.

552. Et magis quidem iſthaec omnia (550. 551.) properantur augenturque, ſicubi non interrupta facultatum mentis contentio, ſtudia non variata, aut violentus animi motus, vigiliis acceſſerint. Laborem corporis nata ex laſſitudine ſomnolentia tempeſtive ſatis utplurimum abrumpit.

553. Contraria igitur mala nimium dormientibus accidere debent. Univerſae functionum animalium officinae torpor, in hujus organis viribusque, quin et in ipſa mente, agendi deſuetudo, ineptitudo; hinc omnium ſenſuum hebetatio, motuum inertia, ἀναισθησία. Ex lentore vero circulationis increſcente obeſitas, polychymia, ſpiſſitudo humorum frigida, leucophlegmatia, capitis oppletio, effeminata carnium mollitudo, ſecretionum ac excretionum ſuſpenſio, excrementi accumulatio, defectus coctionis, depurationis, nutritionis, vigoris denique vitalis in univerſo corpore extinctio ac ſopor lethalis.

554.

554. Ex quibus (550. ad 553.) inter ſe collatis patet, praecipua, quae ex hoc fonte profluunt, mala ad exercitationes corporis animique nimias aut intermiſſas (501. ad 530.) pertinere, hinc pro varia ſimilium vel diſſimilium potentiarum combinatione plurimum intendi minuive poſſe. Tum cui aetati, ſexui, temperamento, vitae generi, alteruter exceſſus magis aut minus noceat? Quodſi vero inter duo tantum extrema eligendi optio daretur, quodnam praeferendum?

Excretio ac Retentio inordinata.

555. UT ſuus corpori vigor conſtet, egeſtorum non minus, quam ingeſtorum, certa quaedam ratio et modus eſſe debet, nec excerni retinenda, nec retineri excernenda. Utrumvis enim acciderit, id nocumento eſt.

556. Magna tamen pars eorum, quae hoc titulo comprehenduntur, naturam potius morbi aut ſymptomatis (34. 41. 86.) referunt. Quare hoc loco de illis duntaxat dicemus, quae cauſarum nomine venire poſſunt.

557. Salivae, uti ſecundum naturam jugiter in os confluit, exſpuitio ſano ho-

mini coctionem alimenti infirmat, exhauriendo una omnes liquores salivae similes, quos natura in primas vias convehit, ut has humectent inque ciborum digestione adjuvent. Unde sitis, siccitas, chyli spissitudo, difficilior a fece separatio, absorptio minus prompta. Excipit haec defectus nutritionis, emaciatio, debilitas. Sanguis autem sua lympha orbatus, concretus, atrabilarius, obstructiones, melancholiam, hujusque sequelas parit.

558. Alvi suppressione diuturna stercus accumulatum, exsuccum, durescit, aegre dein promovendum: intestinis hinc distentis, ἐμφραξει imperviis, fibris eorum infirmatis, vasis compressis, tumet venter, molestia nascitur hypochondriaca, pertinax alvi constipatio, haemorrhoides, capitis gravitas, dolor, vertigo, angina, ophthalmia, vomitus, ileus, putror fecis, aestus, febris, spasmus, inflammatio intestinorum, etc. Haec quidem in naturis debilioribus, quae plurimum excrementi generant. Robustis pauca, quam quotidie ex alimentis parant, fex etiam per multos dies retenta non nocet.

559. Qui urgens lotium reprimunt, nisi invitis tandem effluit, vesica his ultra modum turgens hypogastrium ac lumbos, tumore, dolore, angit; cavitas vesicae immanis fit, fibrarum ejus atonia, sphincteris spasmus invincibilis, ischuria tarde aut nunquam sananda, ῥῆξις quandoque 203. 4.), aut κυςοκήλη (238.), aut ex stagnantis urinae acrimonia inflammatio vesicae et gangraena. Haec mala topica. Accedunt ex impedita simul lotii secretione seri urinosi in sanguine retentio, putrefactio, lymphae, et, qui ex hac secernuntur, liquorum corruptio similis (313.): unde anxietas, sitis, nausea, vomitus; saliva, perspirabile, sudor, urinosa; tremor, vertigo, delirium, convulsio, lethargus, mors.

560. Perspiratio ultra, quam par est, aucta vires prosternit, animi deliquium, mortem subitaneam (427. 4.) infert. Suppressa eadem siccat integumenta ac rigefacit, vascula obstruit, humorum molem auget, gravitatem ad stateram et ad sensum, lassitudinem, anxietatem, animi torporem, congestiones in partibus, tumores, dolores, inflammationes creat; nisi mature benignum aliarum excretionum augmentum consequatur.

Accedens autem retenti excrementi acrimonia etiam febres, eryſipelas, rheumatiſmum, arthritidem, inducit.

561. Sudatio nimia exſiccat corpus, debilitat, ſubducta aqua humores cogit (282.), diatheſin inflammatoriam (367.), atrabilariam (284. 365.), ſanguini conciliat, cohaerentiam inter lympham et craſſamentum infirmat (319.), alia excrementa inſpiſſat, minuit, immeabilia reddit, poris nimium patulis periculoſam ad frigus ſenſilitatem parit. Haec quantum noxae inferre queant, ex locis citatis intelligitur. Sudor admiſſo frigore ſubito cohibitus ſimiliter, ac ſuppreſſa perſpiratio (560.), nocet. Sudandi autem conſuetudo tempore in naturam converſa, ſi ſponte aut arte abrumpitur, difficillima ſaepe mala producit.

562. Immoderata ſeminis profuſio non ſolum utiliſſimi humoris jactura, ſed ipſo etiam motu convulſivo, quo emittitur, frequentius repetito, inprimis laedit. Etenim ſummam voluptatem univerſalis excipit virium reſolutio, quae crebro ferri nequit, quin enervet. Colatoria autem corporis quo magis emulgentur, eo plus humorum aliunde ad ſe

tra-

trahunt, ſuccisque ſic ad genitalia derivatis reliquae partes depauperantur. Inde ex nimia venere laſſitudo, debilitas, immobilitas, inceſſus delumbis, encephali dolores, calores, convulſiones, ſenſuum omnium, maxime viſus, hebetudo, caecitas, fatuitas, circulatio febrilis, exſiccatio, macies, tabes et pulmonica et dorſalis, effeminatio. Augentur haec mala atque inſanabilia fiunt ob perpetuum in venerem pruritum, quem mens non minus, quam corpus, tandem contrahit, quoque efficitur, ut et dormientes obſcura phantaſmata exerceant, et in tentiginem pronae partes quavis occaſione impetum concipiant, onerique et ſtimulo ſit quaelibet exigua reparati ſpermatis copia, leviſſimo conatu, et vel ſine hoc, de relaxatis loculis elapſura. Quocirca liquet, quare adoleſcentiae florem adeo peſſumdet iſte exceſſus? Cur ſenibus tam pernicialis? Diſcrepant tamen hoc virium genere homines etiam ejusdem aetatis inter ſeſe plurimum; aliis vel modica venere languentibus; aliis immoderatiſſima vix exhauriendis.

563. Abſtinentia nimia rarius quidem obeſt; obeſſe tamen viſa hominibus na-

tura ſalacibus, πολυσπέρμοις, pollutione debilitante, gonorrhoea, oppletione, tumore, dolore, inflammatione partium ſeminiferarum; ſtagnantis ſeminis inſpiſſatione, corruptione; ſatyriaſi, ſpaſmis, melancholia, mania venerea. Sexui ſequiori ex hoc fonte quandoque languor virium, fluor albus, chloroſis, malum hyſtericum, furor uterinus. Cohibita autem ſucci ſeminalis ad exitum concitati ejaculatio σπερματοκήλην, κιρσοκήλην, ſcirrhum, cancrum teſtium, inducit.

564. Lactis *praeparatio et* excretio, nutricis *alimento et* viribus major, ſubducto corpori nutrimento, *et remanentibus terreſtribus, inertibus, acribus*, debilitatem, pallorem, maciem, circuitum vacillantem, febrim hecticam, tabem, ſodores profuſos, utero gravido abortum creat: frequentiore inſuper uberum ſuctu etiam vis nervea labaſcit, irritabilitas (190), animi dejectio, deliquium, cordis palpitatio, vertigo, ſenſuum, maxime viſus, teneritudo, hebetudo, ſpaſmi hyſterici, naſcuntur. *Praecluſa ad mammas via a ſpaſmo per terrorem, aut alium animi affectum, perfrigerium, aliasue cauſas inducto, lymphatica materies, in vaſorum ſanguiferorum et lymphati-*

phaticorum ſyſtemate contenta, lac vlteriori praeparatione largiens, ad vterum, peritonaeum, omniaque inferni maxime abdominis viſcera, per grauiditatem, puerperium diſpoſita, arcto ex parte cum mammis conſenſu gaudentia, ruit, ſtagnatione, febre, caet. acredinem induens variam, vtplurimum putreſcentem, irritando, vellicando, grauando has partes laedit, febre inducta abdominalium viſcerum corruptionem inſignem, inflammationem, gangraenam, producit (331). Parati autem lactis ſuppreſſionem mammarum ſequitur diſtenſio, tumor, dolor, febris, inflammatio, ſuppuratio, ſcirrhus, aut impetu *ad partes verſo, cum quibus mammae conſenſum habent maximum, genitales internas et contiguas, partium gravatarum irritatio, inflammatio, febris cum impura colluuie conjuncta ab humore per metaſtaſin depoſito. Quae puerperarum dicta febris, eadem cum priore, attamen originis aliquo modo diuerſae, lacti aberranti vtplurimum debetur, ipſo adeo abdominali humore, quem cadauera exhibuerunt, lac alcaleſcens, ſtagnatione, calore, putredine corruptum referente: ſubinde tamen aliis cauſis, lacte inſonte. Qui enim lac ſemper in cauſa eſſe, ob ſecretionem ejus praepeditam, autumant, falli videntur, quum in quacumque febre intenſiori intercepta aliquo modo lactis ſecretio ſit. Inſignis ſane humorum*

in utero et contiguis partibus grauiditatis tempore collectio, ob vasa etiam post puerperium humores copiosius aduehentia, partium atonia a dilatationis, contractionis, vexis, facile efficit, vt humores in his partibus colligantur aquosi, lymphatici, subinde etiam ex oleo animali omenti, mesenterii, per febrem liquato, humoribus aliis remixto, lacti similes. Impetu autem aliorsum verso, dolores rheumatici, humorum in partibus aliis congestiones, harumque sequelae *nascuntur*; nisi mature salutaris per transpirationem, sudorem, urinas, 'alvum, lochia, menstrua, evacuatio supervenerit.

565. Nimiae sanguinis jacturae, per quascunque vias factae, consecutiones sunt inopia liquidi vitalis (393.), virium defectus, circulationis languor, caloris nativi extinctio, pallor, omnium actionum infirmatio, crudi, aquosi, pallidi, mucosi, in humoribus accumulatio (283. 287. 354. 360. 363. 366.), solidorum debilitas (157.), cachexia, leucophlegmatia, hydrops. Contra haud minus periculosum est, sanguinis effluvium aut naturale, aut cui natura dudum adsuevit, supprimi. Etenim plerisque sanitatibus ad colligendum aliquod humorum superpondium inest pronitas, qua cum

cum neceſſariae, tum tolerabiles, redduntur evacuationes, et, quod per has amiſſum eſt, continuo reparatur. Ita vel praeter neceſſitatem inſtitutae ſanguinis detractiones etiam in conſuetudinem abeunt, nec intermitti impune poſſunt (484.). Plethora inde multiplex (387. ad 392.), univerſalis, particularis; vaſorum diſtenſio, circuitus ſuffocatio; varia naturae ad excernendum molimina, motus irregulares, ſpasmi, enormis humorum in partes ſingulares congeſtio (411.), inflammatio, error fluentium (399.), impactorum (400.), excretorum (401.), effuſorum (402. 403.), ſecretorum (405.); praecipue autem mirabiles per inſolita loca haemorrhagiae.

De Calculi origine et nocumentis.

566. RETENTORUM claſſi haud incongrue calculum annumerare licet; tametſi nec male aliorſum referri ſoleat. Habet enim pro baſi terram, cujus uti plurimum in fluidis firmisque partibus corporis humani (137.), inque alimentis (148.), quibus veſcimur, ineſt; ita, quod ſuperfluum eſt, lege ſanitatis tempeſtive foras ejici una cum ceteris excrementis debet.

Ter-

Terra igitur retenta, ſtagnans, ſi, ſeceſſione ab aliis principiis facta (320.), ſuas moleculas adunaverit, in calculum concreſcere poteſt.

567. Medica quidem hiſtoria docet, vix ullam corporis partem dari, quae non aliquando huic concretioni obnoxia fiat; maxime tamen primas, quas vocant, vias, et, quae tum bili, tum lotio, deſtinatae ſunt, officinas, cum primis viis proxime communicantes. Dixeris ideo, humores, qui crudorum permixtioni prae reliquis patent, praecipue lithiaſin contrahere.

568. Terreſtres ingeſtorum particulae, acido praeprimis infixo ſtipticae, in ventriculo aut inteſtinis retentae, ſolidum aliquod corpuſculum ibidem pro baſi nactae, cui adhaereſcere queant, ſuccis eo confluentibus glutinatae, volutatione jugi addenſatae, calculum in his partibus formant augentque aegre excutiendum, homini tamen, quam brutis, minus familiarem. Documento ſunt aegagropilae et lapides Bezoar.

569. Lotium coctum ſaniſſimum, limpidum, etiam per bibulam colatum, in vaſe quieſcens, ad contiguam hujus ſuperficiem affigit minima granula, quibus

bus dum ex recente lotio, ſubinde infuſo, alia atque alia accedunt, cruſta tandem naſcitur ex veris calculi elementis compoſita.

570. Corpus ſolidum, inſolubile, cavo veſicae urinariae vivi hominis, aut animalis, detentum, cito obducitur cruſta ſimili, quae indies augeſcit; etiamſi vitio careat urina. Creſcit eodem modo ſemel in viis urinae natus calculus, reſtitansque immeabilis redditur.

571. Inde et quivis fere calculus in centro nucleum monſtrat, primae cruſtae baſin, quam orbes alii aliis appoſiti, externi internis majores, ambiunt, incrementi paulatim facti indices.

572. Analyſi Chemica tamen conſtat, non meram terram eſſe, quae ſic coit; ſed aquae etiam, ſalis ac phlogiſtꝭ aliquid, et materiae elaſticae plurimum accedere, mixtione ſimili, qualis in firma corporis compage obtinet (132. 133. 146.). Accuratior autem calculi recentis contemplatio quoque detegit, cruſtas ex micis componi, quae ſalium cryſtallos referunt. Extimae certe ſuperficiei quandoque diſtinctae ac grandiores id genus maſſulae inſident.

573.

573. Ex quibus (569. ad 573.) colligere eſt, elementa calculi, ut ſales in aqua, vere ſoluta in lotio ſano fluctuare, inde per modum cryſtalliſationis chemicae excuti, mutua attractione in granula majora, et haec porro inter ſeſe, concreſcere, obviisque corporibus ſeſe affigere, ſic repetito ſaepius eodem opere cruſtas calculumque urinae formari, tam intra, quam extra hominem. Illuſtrat hanc lithogeneſin confirmatque generatio tartari ex vino, ſtalactitae ac tophi ex aquis.

574. Nec contra facit, quod materies, prius aqua ſoluta, poſt excuſſionem aqua inſolubilis ſit, nec, pro natura ſalium, ſapida. Hiſtoria naturalis et Chemia id genus exemplis abundant.

575. Quocirca et ratio reddi poteſt, cur vita ſedentaria, diuturnus in dorſum decubitus, temperamentum frigidius, immanis aqualiculi pinguitudo, varia ſyſtematis urinarii vitia, obſtructio, inflammatio, ulcus, ſcirrhus, callus, occurſus corporum heterogeneorum in viis urophoris, adeo faveant calculi generationi? Ponunt haec omnia conditiones, quibus excuſſio ſalium quorumvis ex ſuis muriis promovetur.

576. Nequaquam igitur hic opus eſt fermentatione, putrefactione, ſpiritu Gorgoneo, clavulis ferreis, muco glutinante, aut ſpiculis alcalinis, volatilibus, quae terram ferruminent. Fingi haec facilius, quam demonſtrari, queunt.

577. Agnoſcenda tamen inſuper eſt diſpoſitio quaedam ſingularis, interna, haereditaria, connata, aut poſt nativitatem acquiſita, qua, ceteris paribus, alius prae alio magis in lithiaſin propendeat. Solida quidem ſyſtematis urinarii ſic comparata, ut lotium nimis morentur, aut adhaeſionem juſto facilius admittant, eo conferre poſſunt. Maxime vero incucuſandum videtur illud urinae vitium, quo terreae ejus particulae ultra modum abundant, aut citius, quam par eſt, etiamnum intra corpus ſeceſſionem moliuntur (371.). Inde minguntur arenulae, aut majore numero, citiusque a mictione, excutiuntur; niſi intus adhaerendi opportunitatem nactae in calculum concreſcant.

578. Quum igitur obſervatio doceat, pueros, ſenes, quieſcentes, frigidos, acidis aut aceſcentibus cibis, vinis auſteris utentes, acido laborantes, hypochondriacos, hyſtericas, arthriticos, prae aliis fre-

frequentius calculo infestari; credibile est, materiae acido-terreae in urinis exsuperantiam eo disponere. Nec sane refragatur huic sententiae natura lithonthripticorum; nec, quae de acidis in terram absorptis Chemia demonstrat.

579. Calculi fellei, etsi diversum paulo ingenium est, origo tamen haud absimilis censeatur. Ponit fere certam bilis a naturali sua indole degenerationem; ut quae sana nequaquam, lotii instar (569.), terram excutiat. Inde differentia multiplex colorum, flavi, viridis, lividi, atri, albi, cinerei (372.), et vis ardendi non omnibus eadem, et diversa gravitas. Solvuntur et alii aqua calida pro magna parte, alii non item. Nec satis constat, utrum ab ipsa bile semper atque unice materiem suam habeant; licet in hujus officina inveniantur. Alimento ceterum sicciori ac vitae desidi concretio ista praecipue debetur; quum crassamentum fellis, quod alvo excerni fas est, retinetur.

580. Quae porro in aliis succis partibusque corporis nascuntur, varii generis concrementa lapidea (567.), ex his (568. ad 579.) rite applicatis haud difficulter intelligi et exponi possunt.

581. Quacunque autem corporis parte haereant, facultas nociva, qua laedunt, mere mechanica eſt, effectusque producit admodum manifeſtos. Mole nimirum, pondere, duritie, premunt vicina, gravant, comprimunt, canales obſtruunt: unde humorum tranſitus intercipitur, circulatio, ſecretio, excretio turbatur, impeditur. Motus, alliſio, frictio, atterunt, irritant tenera ſolida, alliciunt humores, lacerant vaſa: ſic dolor, calor, inflammatio, ſuppuratio, gangraena, callus, naſcuntur. Continuum vero calculi, dum in corpore manet, incrementum etiam haec mala adauget. Quae quidem ſi ad ſingulas partes, harumque functiones, et mutuos conſenſus applicantur, plurimarum ſane magni momenti affectionum originem promunt.

Potentiae morbificae animatae.

582. Animalis vitae plena omnia. Aër, aqua, tellus, communia naturae habitacula, animantibus undique ſcatent. Stupendus praeſertim minutiorum animalculorum numerus eſt, et vis ſeſe multiplicandi fere tanto major, quanto

minoribus ſunt corpuſculis. Accedit eorumdem ſumma voracitas ac mirabilis, cum in pabulo conquirendo, tum in nidulando, ſagacitas et induſtria. Unde fit, ut non in omne modo vegetantium genus graſſentur, ſed vel majora quoque animalia in eſcam nidosque convertant, horumque adverſus robur ſua ſe parvitate ac numero tueantur.

583. Multifaria igitur occaſio eſt, qua et homini ab iſtis hoſtibus inferri injuria poſſit; niſi forte admiſſi in tempore ſuffocentur, rejiciantur. Patet extima ſuperficies, cui ſe affigant, porisque cutis, aut inflictis vulnuſculis, ſe ſuave ovula inſinuent. Nec deſunt meatus externi, quos ſubeundo in interiora deveniant. Aëris potiſſimum, cibi, potus, vehiculo in primae digeſtionis officinam facile invadunt.

584. Practicorum ideo obſervatis et compertum eſt, multiplex animantum genus quandoque in homine et extra et intus nidulari, neque ullam corporis partem, externam aut internam, plane ab iſto onere immunem eſſe; ita tamen, ut quarum facilior eſt a foris aditus, prae ceteris frequentius obſideantur.

585.

585. De illis quidem animalculis, quae extra hominem etiam obvia ſunt, ſicubi in homine reperiuntur, vix cuiquam dubium eſt, quin extrinſecus eo devenerint, ſive jamjam evoluta, ſive in ſemine ſuo etiamnum latentia, quod, congruas intus conditiones nactum, ſui generis animal demum excluſerit.

586. An autem lumbricorum inteſtinalium, teretis, plani, aſcaridis, alia quaeri debet origo? Quia proprii velut et domeſtici ſunt animalium, ac praecipue hominum, inteſtinis, raroque, aut nunquam, alibi inveniuntur. An aequivocam ex putredine nativitatem habent? An ſpiritus mundi arbitrariae facultati debentur? An potius humano generi inde a primo ortu congeniti per traducem veluti in eodem propagantur? Utrum vero ex ſemine quidem naſcuntur, at non ſuo, aut ex inſectis alienigenis, quae intra corpus humanum recepta, ob pabuli aliarumque conditionum diverſitatem, in aliam ſpeciem degenerant? Nimis haec omnia repugnant communibus generationis legibus, quas obſervatio fidelis in minimis aeque ac maximis animalibus detexit, quam ut admitti queant.

587. Quum itaque ſuum et genus et ſpeciem tueantur iſti vermes; primasque modo vias (583.) obſideant; et pro aetate, ſexu, temperie, vitae genere, aëre, cibo, potu, regione, anni tempore, etc. diverſis, alios prae aliis magis, minus, aut et nunquam infeſtent; neque tamen et ſingulos iidem, ſed hos teres, illos aſcaris, alios iterum taenia: ſuadet profecto analogia, eosdem quoque a foris in hominem deferri (583.), et conſimilem prioribus (585.) ortum habere, ſeſeque intus more ceterorum animalium multiplicare; niſi validis naturae viribus ſuperentur. Quanquam vero et haec ſententia ſuis vexatur dubiis, quae expediri aegre queant; non ſunt tamen iſta tanti momenti, ut non ſperare liceat, ulteriore ſcrutinio tandem ad liquidum perductum iri. Quod ipſa natura dictavit, ſyſtema non ilico turbandum, ſi qua forſan parte ob cognitionis humanae anguſtiam hiat.

587. *Tantum vero lucis doctrinae de vermium generatione adfudere e recentioribus Cl*[mi] *viri*, MÜLLERUS, PALLAS, GÖTZIUS, BLOCHIUS, LESKE, *ut quae minus expedita et vix extricanda olim medicis viſa erant* (586. 587.), *nunc ſolertiſſima et fidiſſima obſerua-*

ſerua-

seruatione extra omne paene dubium posita videantur. Etsi enim vermes sine dubio dantur insectaque alia, quae extrinsecus in corpus perueniunt, acari, laruae insectorum complurium in varias animalium partes depositae, terreni et aquatici vermes varii, qui noxas quidem corpori inducere et vitam aliquatenus in eo agere, attamen multiplicari nequeunt, intestinales tamen vermes omnes et taenias hydatigenas in qualicunque corporis parte sedem habentes, animalibus connatos esse, in animali corpore tantum posse viuere et sobolem sui generis procreare, probant vermes ejusdem generis et speciei tantum in animali corpore certi generis et speciei, nec vllo alio loco reperiundi, eorundem non adeo rara in foetu tam nondum edito, quam recenter enixo, praesentia, vermes in quacunque interna corporis parte obuii, pluribus animalium speciebus propria vermium species tantum data, accommodatam illis structuram habens, ouulorum copia infinita, caet. Quibus accedit, quod in animali tantum corpore crescant vegeti, quod digestiuae vires, durissimis etiam soluendis, digerendis, pares, in eos non valeant, quod non semper morbos inducant, neque ex vno animalis genere in aliud propagari patiantur. Indeque, obscuris licet adhuc primis vermium seminiis existentibus, aliis quippe cum embryone nasci, aliis a matre ad foetum deferri

ri putantibus, hoc ſaltim conficitur, quod verminoſum ſeminium nuſpiam, niſi in corpore animali reperiatur, ibidem tantum euoluatur, nec quod vermis ex alio animalium genere aut ſpecie in aliud tranſiens ibidem vitam agere aut multiplicari poſſit, hinc opinionem de vermium ſeminiis aut vermibus ipſis cum aqua hauſtis, aut alio modo, cum aere, caet. in corpus illatis ibidemque euolutis, multiplicatis, penitus cadere.

588. Sanitas quidem id contubernium ſaepe haud aegre fert. Nec raro tamen multimodis inde laeditur; maxime ubi interiora occupantur. Primis hinc viis a mole, numero, conglomeratione vermium, gravitas, infarctus, obſtructio, ileus: a motu, reptatu, ſuctu, irritamenta nervorum, nauſea, vomitus, ſingultus, anxietas, motus ventriculi et inteſtinorum inordinati, ſpaſmi, ructus, flatus, borborygmi, dolores ventris varii, tumores, alimenti coctio perturbata, chyli abſorptio impedita, alvus irregularis, alias ſtricta, alias laxa: quandoque et roſio accedens excoriat, inflammat, exulcerat, perforat: ex conſumtione chyli eſuries, bulimus: ovula vermium, recrementa, cadavera, mucum naturalem inviſcant, accumulant, menſtrua primae digeſtionis inſpiſſant, corruinpunt, ac fecem

fece

fece acervando putrorem late diffundunt. Haec quidem topica ſunt mala.

589. Facit autem multiplex hujus officinae cum univerſo corpore conſenſus, ut et reliquae partes una afficiantur. Etenim ſubtractio nutrimenti maciem, pallorem, debilitatem, atrophiam creat: chyli nec rite cocti, nec defecati, alienis etiam intermiſtis corrupti, vitium, in ſecundas vias delatum, in cacochymiam et cachexiam degenerat. Irritatio denique, per inſtrumenta motus ac ſenſus, horumque vires, quaquaverſum ſeſe extendens, omne genus affectionum ſpaſmodicarum inferre poteſt. Hinc circuitus humorum turbatus, cordis palpitatio, pulſus exilis, deficiens, intermittens, animi deliquium, horripilatio, febris, dolores varii, vertigo, caecitas, aurium tinnitus, inſomnia turbulenta, terrores, deliria, aphonia, paralyſis, catalepſis, apoplexia, tetanus, motus convulſivi praeſertim, atque inſultus epileptici omni modo mirabiles.

590. Ex his (588. 589.) porro ſponte innoteſcit, quaenam naſci mala poſſint, quum in aliis corporis vivi partibus, externis vel internis (534.), aliquod animantium genus nidulatur.

De ceteris, quae forinſecus admota obſunt.

591. Multa inſuper caſu, vel conſilio, corpori externe admoventur, aut in illud incurſant, quae, prioribus titulis non comprehenſa, praeteriri tamen nequaquam debent; quia in producendis morbis plurimum valent.

592. Veſtimenta, quae conſuetudo magis, quam natura, homini neceſſaria fecit, mole, pondere, adſtrictione, quas ambiunt, partes premunt, vaſa arctant, appulſis humoribus reſiſtunt, contentos repellunt, ſolidorum fibras inter ſe compingunt. Quae quidem ſi moderata fuerint, ſanum robur, vigorem circuitus vitalis, mutuam continentium et contentorum actionem, attritum, calorem nativum, augent (433. 434.), tegumenta, nervos, fibras, muſculos, fultura juvant, debibilibus hinc ſaluberrima. Excedens autem preſſio, ut vario eſt gradu, mala plurima ac diverſiſſima inducit. Humoribus inde diatheſis inflammatoria (367.), putredo (313); reditus per venas, influxus per arterias impeditus; virtutis nerveae interceptio; nutrimenti, hinc nutritionis ac incrementi aequabilis defe-

defectus; materiae solidorum degeneratio; coalitus eorundem multiplex (209. 6.). Haec dum pressioni expositae partes patiuntur, contraria in reliquis eveniunt; humorum affluxus, accumulatio, impetus major, canalium distensio, ἀναςόμωσις, διαπήδησις, διαίρεσις (203.), omnifariae fluidorum aberrationes (397. et seq.), incrementum nimium (261.), tumores varii, proportionis ac aequilibrii inter partes, vires, actiones, destructio, etc. Inde anxietas, dolor, oedema, inflammatio, gangraena, stupor, paralysis, apoplexia, haemoptoë, mictus cruentus, abortus, varia conformationis, situs, nexus, vitia, in teneris praesertim ac debilibus corporibus nascuntur.

593. Eadem, atmosphaeram inter et cutim media, hujus calore fota, illius frigus arcent, calorem extremi corporis augent, molliunt partes calefactas, humores eo trahunt, ab aliis partibus abstrahunt. Quo nomine ut saepe multum juvant, ita alias et vehementer nocent (424. 425.). Interest tamen, utrum linea, xylina, coriacea, serica, lanea, plumea, pilosa materies sit, ex qua constant: neque enim in omnibus par caloris tenacitas datur.

594. Combibunt etiam humidum retinentque plus, minus; magis quidem, ſi de animali parata ſunt, quam de vegetabili materie. Ita diverſimode in vaſcula cutanea agunt, ſuctuque aut repulſu excretionem ac abſorptionem cutaneam multimodis, nec ſemper innocue, variant, augent, impediunt. Eo quoque haud parum frequentior aut intermiſſa veſtium mutatio facit.

595. Ex his (592. ad 594.) collatis ad (428. 445.) intelligere eſt, cur intempeſtiva hyberni aut aeſtivi veſtitus mutatio, ſubitave partium tectarum denudatio, aut neglecta tegumenti ad aëris viciſſitudines accommodatio, tot et tam gravia ſaepe mala, inſuetis praeſertim, inducant? Et quid efficere ſtragula, culcitrae, faſciae, cingula, ligationes, etc. poſſint?

596. Epithemata liquida, mollia, ſolida, quae corporis partibus multoties, non ſine fructu, ſuperdantur, quandoque tamen et nocent frigore, calore, preſſione, humiditate, ſiccitate, ſingulari materiae ſuae virtute, penetrabilitate, applicandi modo ac tempore, partiumque, quibus imponuntur, diverſa conſtitutione. Balneorum vires agendi pari ratione eruuntur.

597.

597. Pinguia autem vario nomine forinſecus admota, aut illita, obeſſe inſuper poſſunt emolliendo, tranſpirationem occluſis poris ſupprimendo, tum, ſicubi acria ſimul fuerint, irritando humoresque alliciendo. Unde dolor, febris, inflammatio, eryſipelas, puſtulae, etc. Nec obſtat lentor, quo minus abſorpta introeant, ſtimuloque late diffuſo proprias ſibi vires per univerſum corpus, aut in partibus longe diſſitis, effectu multum variante exſerant, aegrius denuo extergenda.

598. Quaecunque porro impetu acta a foris in corpus incurſant, hujusve motui rudius reſiſtunt, actione mechanica cohaeſionem, ſitum, nexum partium turbando, morbos creare ſolent, maxime inſtrumentarios (212.), fracturas (217.), vulnera (218.), luxationes (226.), hernias (230.), prolapſus (248.), vitia numeri (258.), conformationis (259), magnitudinis (260.), multiplicesque iſtorum conſecutiones. Moles itaque adacti corporis, pondus, figura, celeritas, directio, comparata cum partis affectae cohaeſione, fabrica, poſitione, etc. modum gradumque laeſionis determinant.

599. Huc etiam referri possunt injuriae, quas impedimenta in partu, imprudens obstetricatio, nutricis custodisve ruditas ac negligentia, premendo, trahendo, distorquendo, quassando, sauciando, infanti inferunt, eo deteriores, quo tenellum corpusculum minus est resistendo. Nec foetus etiam uterinus ab id genus violentiis plane immunis est.

600. Neque tamen hinc intellexeris, quae gravidarum phantasiae vulgo tribui solet, multipotentem in corpore foetus mutando efficacitatem: uti nec, quae de incantamentis perhibetur, vim morbiferam. An igitur utriusque eadem est ratio? An et aequa fides?

601. Ignis quum vi majore, quam quae ferri queat, in partem corporis agit, motu vehementiore, expansione, effusione, dissipatione, exsiccatione humorum, fibrarum vasculorumque crispatione, ruptura, omnium in escharam informem colliquatione, singulos inflammationis gradus ad saevissimum usque sphacelum celerrime producere potest.

602. Subeunt quandoque et res alienae, solidae, ad interiora corporis, quae cum nec digeri a natura possint, nec commode permeare, aut rursus ejici, ocyus, serius,

ſerius, nocivae redduntur. Hujusmodi ſunt oſſa, lapilli, acus, feſtucae, clavi, glandes, fragmenta metallica, vitrea, pili, offae grandiores, et ſimilia, quae alias per meatus naturales, foris patentes, alias per vulnera, intro deveniunt.

603. Laedunt haec mole ſua, pondere, duritie, figura, motu, obſtruendo, gravitando, comprimendo, irritando, atterendo, vulnerando. Quodſi vero ejus naturae ſunt, ut, quibus alluuntur, humoribus ſolvi poſſint, latius etiam ſeſe diffundere ac vi ſingulari nocere ſolent. Nec rarum eſt terrea, mucoſa, amurcoſa, coagula, iis adhaereſcere, ſic varii generis concrementa naſci (568. 570. 571.).

604. Pro partium igitur, quas occupant, diverſitate omnifarios effectus producere debent. In adipem per vulnus demerſa, per annos ſaepe innocua, varie mutata ſede, aut foras demum protruduntur, aut irritando inflammant, exulcerant, aut improviſo haemorrhagias intus, convuſiones, paralyſes, ſubitam mortem inferunt. Laryngi impacta, altiusve in tracheam detruſa, repente ſuffocant, aut violenta tuſſi, inflammatione, exulceratione, tabe, paullatim necant. Deglutita, dum in faucibus, oeſo-

oesophago, stomacho, pyloro, intestinis, haerent, obstructione, inflammatione, perforatione, ulcere, calculi generatione (568.), diversimode hanc officinam turbant. Utrum et ex primis viis nonnunquam in vesicam urinariam deferuntur, et qua via? Quaecunque alicubi detenta lotio alluuntur, crustas calculosas mora contrahunt (570.). Nec obscurum est, quid mali in nares, oculos, aures, immissa creare debeant.

605. Et hae quidem praecipuae sunt, inter quas corpus humanum versatur, potentiae nocentes. Uti vero multae laedendi facultate inter sese conspirant, multae contra pugnant; ita, quas inducere valent, noxas pro varia similium vel dissimilium concursione intendi aut mitigari ac destrui necessum est.

De Seminiis morborum (75.)

606. Seminia morborum non minus, quam potentias nocentes, multifariam inter se discrepare, docet, quae has inter et illa requiritur, mutua affinitas (75. 78.), magnusque numerus morborum, quos vi unita producunt (120. ad 418.). Merentur ideo speciatim hoc loco etiam considerari (79.).

607.

607. Insunt in homine secundum naturam quamplurimae affectiones, ipsis vitae ac sanitatis principiis necessario innexae, quibus fit, ut corpus humanum non quarumvis potentiarum impressioni resistere, eoque nomine etiam naturaliter ad morbos dispositum dici queat. Haec igitur naturalia vocabo morborum seminia.

608. Quorum quidem alia ubique et semper in omni homine obtinent, ideoque universo generi humano communia ac perpetua sunt; alia vero propria, quae in singulis tantum inveniuntur, nec in iisdem omni tempore, aut eodem constanter modo.

Seminia morborum naturalia, communia.

609. COMMUNIUM praecipua haec sunt. Firmarum C. H. partium cohaesio nexusque haud insuperabilis; succorum multitudo et crasis facile mutabilis; canalium numerus, mollitudo, subtilitas, implicatio; superficies meatibus undique patens; principium vitae valde sensile (171.), fugax (187.); functionum omnium ac singularum generale fundamentum

tum in motibus harmonicis positum; mirabilis universae tum compagis, tum oeconomiae, consensus ac conspiratio; mutui denique mentem inter et corpus commercii leges statae, nec pro lubitu variandae.

610. Naturam hominis ita comparatam qui confert multiplicibus potentiarum, quibus per vitae munia exponitur, viribus (419. ad 605.), is facile videt, non imparem modo esse quibusvis noxis repellendis, sed pronam quoque in nonnullas ruere.

Seminia morborum naturalia, propria.

611. LATITUDO sanitatis uti multam admittit differentiam; ita, quod quisque sanus sibi ex naturae instituto privum habet, quo fit, ut magis, quam alii, ad aliquos morbos proclivis sit, horumque idcirco occasionibus minus resistere queat, inter seminia haud inepte referre licebit (75.).

612. Quae vitae humanae periodum variant, aetates hujus loci sunt. Nascitur, crescit, perstat, decrescit, moritur homo ex lege naturae. Cuique horum sta-

ſtatuum ſua quidem propria eſt ſanitas: at partium, facultatum propenſionumque cum animi, tum corporis, magna in ſingulis diſcrepantia. Ex hac igitur et diatheſes profluere debent, quae quamlibet aetatem in alios morbos proclivem reddant.

613. In ſexu haud minor diſſimilitudo eſt; ſive, quas privas ſibi et mas et femina habent, partes ſpectes, ſeu reliqui etiam corporis habitudinem, aut univerſam oeconomiam. Inde uti alia eſt maris, alia feminae ſanitas, ita et cuique ſui ſunt, in quos per ſexum magis inclinat, morbi, maſculini, feminini. Poſteriorum praecipue tanto major numerus eſt, quo plura ſexui ſequiori munia incumbunt; ut merito uterus ſexcentarum in muliere aerumnarum auctor dicatur.

614. Temperamentum ponit ſingularem C. H. ſani in ſolidis ſuccisque ſuis diatheſin ac proportionem, viriumque motricium gradum, unde ſingularis profluit functionum tenor, qui dum ſanitatis modum non excedit, in diverſimode temperatis tamen longe diverſus eſt. Multiplex haec diſcrepantia uti totidem deflexiones ab una ſanitate, perfectiſſi-

 ma,

ma, indicat, ita haud pauciores ad ſtatum morboſum appropinquationes. Ex quo conſequitur, ut quaeque temperies in illud morbi genus, quod proxime contingit, propendeat, hujusque idcirco ſeminium continere haud immerito dici poſſit.

615. Eadem ratio eſt ἰδιοσυγκρασίας ac privatae partium ſingularum habitudinis, qua hae a generali corporis ſui temperatura abludunt, diſcrimine ut plurimum vix, niſi per effectus quosdam, obſervabili, nec et oeconomiam in ceteris admodum turbante. Mirabilis hinc ſaepe oritur ſenſibilitas, qua poteſtates rerum, quas alii facile ferunt, e millibus uni fiunt nocentiſſimae.

616. Iſtorum vero ſeminiorum (611. ad 615.) pars praecipua ſedem videtur habere in principio vitali (170.), quod, cum per univerſum corpus late diffuſum ſit (175.), amploque polleat conſenſu (178. 179.), et multum de quaque functione ſibi vindicet (180.), ſi quo gradu, in homine ceterum ſano, agilius aut torpidius fuerit, potentias nocentes in morborum generatione plurimum adjuvare poſſe indubium eſt (195. 199.). Atqui ſanitas multifariam admittit virtutis vitalis

talis tam in corpore toto, quam in singulis partibus discrepantiam (176. 177.).

Morborum Seminia, quae sunt praeter naturam.

617. INGENS praeterea numerus est eorum, quae sive congenita, seu post nativitatem contracta, praeter naturam corpori ita insident, ut, quum ipsa morbosa sint, etiam per potentias nocentes concitata alios insuper excludere morbos queant, merito hinc seminiis annumeranda.

618. Primum quidem huc referantur affectiones occultae, quae, etsi nihil admodum vitiosi in ulla corporis parte aut facultate prodant; neque etiam ad naturalia seminia, communia (609.), aut propria (611. ad 616.), pertineant; nihilominus, data occasione, in manifestos erumpendo morbos, vires suas noxias declarant. Istiusmodi videntur diatheses haereditariae, tum et in utero materno aut ex nutricis lacte prognatae, quae, seminum similes, per annos saepe, absque sensibili labe aut functionum laesione, sopitae latent; at suo demum tempore, faventes nactae conditiones, in analogam sibi morborum speciem ef-

florefcunt. Morbofae igitur habendae funt; quum generalibus fanitatis differentiis (611.) non comprehendantur: quanquam cujus generis alienatio a ftatu naturali fingulis fubfit, haud fatis conftat. Morborum, qui per acceffiones et intermiffiones circuitum faciunt, eadem forte ratio eft.

619. Alterum genus eft affectionum mediarum, quae reapfe quidem praeter naturam funt, talesque fe per fua figna produnt; nec tamen ita graves, ut vulgo pro morbis habeantur (123.); quum functiones haud turbent (38.). Quandoque igitur diu absque noxa feruntur, ac tantifper a Pathologis ad morborum caufas potius relegantur (58. 123. 124.); dum proprio incremento auctae, aut acceffione aliorum vel feminiorum, vel potentiarum, adjutae, veros demum ac palam agnitos morbos pariant.

620. Morbi itaque fimpliciores, fupra enumerati (125. et feq.), ad hunc locum pertinent omnes et finguli, quotquot aut propriis viribus, aut complicatione cum aliis, nondum eo magnitudinis creverunt, ut fanitatis munia manifefte perturbent: at qui proclivem modo ad aegrotandum reddunt hominem. Cujusmo-

modi ſunt ſolidorum debilitas et rigiditas (157. 164.), irritabilitas et torpor (190. 196.), nonnulli cavorum morbi (202.), ut et inſtrumentarii (213.); potiſſimum vero vitia fluidorum, cum abſoluta (269. ad 302.), tum relativa (283. ad 412.). Totidem haec ſeminia ſunt, quae ocyus, ſerius, data occaſione, ſui generis morbos excludere valent: prout locis citatis eſt videre. Nec ſane plethora et cacochymia hunc fontem penitus exhauriunt.

621. Tertium genus eſt vitiorum manifeſtorum, quae uti morboſis effectibus palam ſeſe declarant, ita vel ſponte, vel aliarum poteſtatum concurſione, in morbos alios, ſpecie diverſos, degenerare queunt, nequaquam cum ſymptomatibus confundendos (97. 105.). Eo igitur nomine ſeminiis omnino annumerari debent, quod proclivitatem ad ſui generis affectus ponant; tametſi ipſa nec immerito inter morbos referuntur. Naturae ſimpliciorum morborum, ante (150. ad 412.) expoſitae, id per effectus ſuos abunde oſtendunt; quum ex plerisque ſibi permiſſis alii atque alii ſcaturire ſoleant. Intelliguntur hinc morborum metaſchematiſmi, exitusque in alios mor-

 bos.

bos. Nec ſane minima haec pars eſt eorum, quae ad diagnoſin ac prognoſin in praxi rite inſtruendam requiruntur.

622. Quocirca patet, ſeminiorum multa, quae praeter naturam ſunt, in hominem invehi actione potentiarum nocentium, adeoque ut harum effectus, ſupra (419. ad 605.) ordine iam enumerata eſſe, eandemque rem, ut diverſimode ſpectatur, potentiæ nocentis, ſeminii, aut morbi loco haberi poſſe.

De differenti cauſarum morbificarum conſtitutione.

623. Ita demum perſpicere datur, quam multiplici modo verae morborum cauſae (62.) conſtiuantur. Tametſi enim hoc commune omnibus eſt, naſci ex potentiis nocentibus et ſeminiis inter ſe concurrentibus (77.); haec ipſa tamen principia multum diverſae ſunt originis, nec eadem ſemper ratione alia aliis ſeſe adjungunt.

624. Primum quidem potentiarum nocentium multae ſunt tanta vi praeditae, ut non niſi ſeminio naturali, communi (609.), aut proprio (611.), opus habeant ad cauſam morbi conſtituendam,

dam, hinc vel ſaniſſimos ceterum ſtatim in morbum conjiciant. Mechanicae poteſtates (598.), ignis (601.), venena (586.) et plura alia hujus loci ſunt.

625. Quodſi ſeminia, quae praeter naturam ſunt (617.), intus alit homo, res non naturales, etiam innoxiae, cum his in morbi cauſam concreſcere valent; ut adeo tum praecipua morbi pars ſeminio potius, quam potentiae nocenti, adtribuenda videatur.

626. Quum vero potentiae nocentes etiam ſeminia morboſa creare ſoleant (622.), quae nata, dein cum illis rurſus concurrendo, in morbos tandem abeant; manifeſtum eſt, easdem ſolas, continuata diu actione, quidquid ad morbum conſtituendum requiritur, inducere poſſe, nullo licet ſeminali vitio praegreſſo. Incongruus rerum non naturalium uſus vel perfectiſſimas ſanitates ita haud raro peſſumdat.

627. Quandoque ſeminiis morboſis accedere debet naturale ſeminium, proprium (611.), quo matureſcant veluti, atque apta reddantur ad generandum morbum, ſi potentia nocens ſupervenerit. Docent ſeminia haereditaria, quae una cum homine ad certam uſque

aetatem adolefcunt, priusquam fefe explicent.

628. Morborum, qui ex aliis morbis, tanquam ex feminiis fuis (621.), nafcuntur, multiplex origo eft. Etenim alias morbus primarius, fibi permiffus, vi fua in aliud genus fefe convertit, fingulari hominis, partisve, quam occupat, conftitutione adjutus. Alias naturae hoc opus eft, cujus dum motus (98. et feq.) morbo fuperveniunt, hunc mutari oportet. Nonnunquam congrua vel incongrua medicatio, rerumve non naturalium cafu aut confilio accedens poteftas mutationem inducit. Morbi quoque materies, bene vel male e fede fua in alias delata partes, pro harum diverfitate morbum variare poteft. Quandoque fymptomata funt potentiae nocentes, quae morbum morbo aggravant (97. 105. 109.). Nec raro quod de morbo utcunque fanato reliquum eft, feu materies fuerit, feu vitium folidis fluidisve illatum, feu virium motricium labes aliqua, feminium ponit, quod neglectum levi occafione denuo in morbum prorumpat. Confenfus etiam atque confpiratio (609.) facit, ut, malo in alias atque alias partes diffufo, ex morbis morbi oriantur.

629. Pro multitudine autem feminiorum, quae in homine infunt, crefcit et numerus potentiarum nocentium, et morborum poffibilium occafiones multiplicantur, augeturque adeo proclivitas ad aegrotandum. Quum igitur a feminiis naturalibus, tum communibus (609.), tum propriis (611.), nemo immunis fit; natura illi quidem ad morbos pronifsimi prae ceteris effe debent, qui et propriorum multa ac gravia habent, et morbofis infuper cujusvis generis (617. ad 621) laborant. Unde patet, quaenam fit conftitutio debilis, quae robufta, qui ftatus valetudinarius, quaenam debilitas partis fingularis? Cur debiles, exacto rerum non naturalium regimini addicti, faepe minus aegrotent, diutiusque fani vivant, quam robufti exceffibus quotidianis impliciti? Diffolutam juventutem haud raro fenectus manet miferabilis; et contra.

630. Liquet porro, quam utilis haec doctrina fit Medico, rationalem artem profitenti, ad ea, quae morbum praefentem faciunt, recte cognofcenda. Qualiscunque ille fuerit, fimplex, an compofitus; origo certe ac natura ejus vix rite intelligitur, nifi conftiterit, ex quibusnam tum potentiis, tum feminiis, inter

ſe conjunctis profluxerit. Et quanquam ſeminiorum conſideratio non in omnibus aeque momentoſa videri poſſit, eſt tamen in plurimis; eoque magis, quum non diatheſes adeo mere paſſivae, quae potentiarum actionem modo excipiant, huc referantur; ſed vel maxime activae, quarum vires, a potentiis nocentibus tantum excitatae, his ipſis ſaepe longe validiores, totum quandoque morbum, aut potiorem certe ejus partem, ſibi ſolis vindicant (51. 99. 102.). Quin minus etiam a Practicis praeteriri debent, ut qui inter morbos ſingularium hominum verſantur.

631. Medicum igitur aegri examen, quo vera cauſae morbi cognitio nititur (72.), non claſſes modo ſingulas rerum non naturalium, vitaeque ante actae rationem, complecti debet; ſed et univerſam hominis conſtitutionem, quaeque in hac cum communia, tum propria, et quae ſecundum aut praeter naturam, inſunt. Ita nimirum utrumque genus principiorum, quibus morbus efficitur (630.), ſeſe demum manifeſtat. Quodſi vero alterutrum forte ex ſe lateat, detegi id tamen quandoque poteſt alterius noti principii comparatione ad morbum, per ſuos

ſuos effectus cognitum (45. 117.), facta. Potentia nocens ſaepe ſeminium, aut hoc viciſſim illam, ſic prodit.

632. Atque hac demum methodo etiam feliciſſime invenitur eorum, quae Practico agenda ſunt, ratio modusque, cum in prophylaxi ſanorum, tum in aegrotantium curationibus. Intuta ſanitas eſt, cui non cavetur, ne aut ſuccreſcant ſeminia, aut nata ſeſe explicent. Nec morbus plane tollitur, niſi ſublata univerſa complexione conditionum, quibus fovetur: quod cum in morbis multum complicatis, aut inveteratis, rariſſime ſimul obtineri poſſit, aliarum poſt alias correctio ſuſcipi debet; ut minutatim deteratur, quae uno impetu ejici nequit, cauſa mali. Si quae porro morboſa ſeminia ſuperſunt, quae tollere nefas, ſopire tamen et haec averſis nocentibus potentiis (59. 77) licet.

Vires Naturae medicatrices.

633. IN tanta rerum nocivarum multitudine cum rari ſint homines, qui ſatis circumſpecte vivant, pronum eſt credere, longe frequentiores fore morbos, quam obſervatio doceat, nec cuiquam

diu

diu incolumem perstare sanitatem posse. Conferre quidem potest, neque sufficit tamen ad avertendos morbos, requiri seminii ac potentiae nocentis analogae concursionem, ut nascantur (75. ad 78): quando concurrendi occasiones adeo multiplices sunt. Oportet itaque alias subesse causas, quas operae pretium est considerare.

634. Quemadmodum natura humana morbos mortemque aversatur et horret (2.); ita suis quoque viribus instructa est armisque, quibus sese ab illis tueatur, quaeque non minus in corpore, quam in mente, insunt, et quanquam diversa, in eumdem tamen finem omnia conspirant (18. 51. 99.).

635. Continuis vitae actionibus expositum corpus, proprio suarum partium motu attrituque, cito destruitur. At facultate etiam nutriente gaudet, qua materiem extraneam sibi appropriando jacturam jugiter reparat, inque perpetuo suae materiae fluxu ac mutatione idem tamen atque incolume sese conservat. Sic inevitabili morborum mortisque causae certissimum opponitur remedium.

636. Ejusdem quoque ordinis est facultas admirabilis, quae solidae compa-

gis

gis vulnera, fracturas, ulcera, vexata, mutilationes, artificio inimitabili, consolidat, redintegrat, resarcit. Ea quamvis majori gradu nonnullis animantibus indita sit, quam homini; huic tamen et tam eximia inest, ut merito universae Chirurgiae fundamentum habeatur.

637. Praeterea uti corpus suis viribus alimenta coquit sibique assimilat; ita non minus facultatem nactum est morbosa, et quae praeter naturam sunt, subigendi atque contemperandi. Hic ille tam salubris πεπασμὸς, quo conditiones noxiae eorum, quae morbum intentant aut faciunt, ita mitescunt, ut vel innocuae fiant, vel ad commodam ejectionem expeditae. Quidquid in crisibus salutare est, hac potissimum virtute nititur.

638. Inter praecipuos hujus facultatis (637.) effectus memorari meretur suppuratio, solius naturae opus, arte quavis superius, praestantissimum adversus cruda, acria, obstructa, inflammata, vulnerata, ulcerosa, emortua, quae aliter sanari nequeunt, remedium.

639. Emunctoriorum insuper summa hic est utilitas (299.); ut quorum beneficio nocentia, aut nocitura, sive a foris inge-

ingesta fuerint, sive intus nata, mature ejici possint. Nec ordinaria tantum usu veniunt, quando materies morbosa expelli debet; sed inconsuetas etiam vias modosque adhibet natura: uti haemorrhagiae, vomitus, cholera, diarrhoea, sudatio etc. docent.

640. Multifariae autem, quibus corpus vivum pollet, vires motrices, quum rebus nocivis irritatae semet exserunt, praecipuum praestant vitae ac sanitati praesidium. His certe nituntur facultates modo allegatae (635. ad 640.). Inde profluunt motus automatici, irregulares quidem multimodis, at saepe beneficentissimi, certaque determinatione ad salutarem finem tendentes; etiamsi mente nec imperante, nec conscia, et vel invita quoque, fiant, hujusque adeo consilio nequaquam tribui possint (51. 99. ad 105.). His si careret homo, nulla vel sanitati constantia, vel morbo medela foret.

641. Id genus motibus praesertim febris annumeranda est. Licet enim commotio ista, perturbato circulationis systemate, gravibusque symptomatis molesta, haud raro perniciem inferat, hinc merito morbus appelletur; saepe tamen

tamen et mirifice adeo ſalutaris eſt, ut certius aliud potentiusve cum ad ſanandos, tum ad praecavendos morbos auxilium natura, vel ars, vix agnoſcat. Inde vel intemperantia quoque Medicorum in laudanda febre, qui nonnunquam ejus faciendae magis, quam abigendae, poteſtatem ſibi negatam dolent.

642. Accedit partium facultatumque conſenſus ac conſpiratio (99.), qua mutuam ſibi opem ferunt, aliae aliarum vice funguntur, ſanaeque pro afflictis in motus medicatos ruunt; ut horum junctis viribus tanto minus reſiſtere imminens praeſensve morbus poſſit.

643. Nec menti humanae ſua deſunt conamina, quibus periclitantem ſanitatem tuetur. Etenim moleſta perceptio minantis mali, aut olim tolerati memoria, non modo impellit eam ad quaerendum praeſidium, ſive id evitatio cauſae cognitae dederit, ſeu uſus auxilii experimento, ratione, aut conjectura inventi: ſed ſuos etiam animus, formidine periculi inquietus, concipit impetus, motusque in ſyſtemate ſuarum functionum concitat, qui, licet ex inſtinctu potius, quam ex conſilio, profluere videantur, certiſſimum tamen tutaminis, aut levamen-

menti, afferendi ſcopum atque efficacitatem manifeſte declarant. Hujusmodi ſane ſunt muſculorum, qui voluntati parent, motus ſpontanei, cogitationem praevertentes, nec pro arbitrio retundendi: praecipue autem, quae praeter rationem toties ſeſe efferunt, determinata rerum noxiarum faſtidia, aut medicatarum appetentiae, quibus obſequendo imminentes morbi ſaepiſſime avertuntur, refractarii etiam ſanantur.

644. Poſtremo memorabilis quoque eſt facultas adſueſcendi, qua utrumque hominis principium gaudet. Hac ſi careret natura humana, pauciſſimis profecto ſanis eſſe contingeret. Duramur nimirum conſuetudine ad innoxie ferendum innumera, quae minus adſuetis obſunt. Uti vero univerſim in quarumvis actionum exercitatione multum juvamur conſuetudine, ita haec ipſa quoque medicatrices cum mentis, tum corporis, vires (633. ad 644.) quascunque in facilitatem agendi diſponit, qua potentiis nocentibus ſeſe opponere, noxas ab his illatas corrigere, partes affectas in integrum reſtituere promptius, commodius, felicius, queant. Ita vel morbi etiam adſuetudine magis et tolerabiles et tracta-

tractabiles redduntur, ipſaque venena miteſcunt. Quocirca patet, cur ex vetuſtiſſima obſervatione, quae a multo tempore in conſuetudine ſunt, etiamſi deteriora, inſuetis minus turbare ſoleant? Cur conſueti morbi mitiores? Cur valetudinarii ſaepe praeter exſpectationem longaevi?

645. Haec ſumma eſt remediorum naturalium, quae data homini ſunt, ut ſe adverſus plurimas morborum cauſas tueri incolumem queat. Horum virtute efficitur, ut morbo longe frequentior ſit ſanitas; ut multi perraro morbis affligantur; nonnulli etiam in ſanitate nunquam interrupta conſeneſcant; magnus denique aegrotantium numerus ſponte, absque Medici ope, convaleſcat.

646. Merentur autem ideo quoque accuratius perpendi, quando indubium eſt, artem medendi non prima ſolum inde cepiſſe initia; ſed et his ipſis naturae viribus ita inniti (18. 19.), ut ſine illis exquiſitiſſima ceterum Medicorum omnium induſtria ne unum quidem ſervare ſanum, aegrumve ſanare poſſit. Iisdem qui prudentiſſime uti novit, artis faſtigium attigit.

647. Atque iſta cum perpetuae obſervationis ſint, a nemine quidem in controverſiam vocantur. Verum de illo diſceptatur acriter, ex quonam hominis principio ea omnia profluant: utrum pars corpori, pars menti, anne huic ſoli debeantur univerſa? Utraque ſententia ſuos habet patronos, claros viros, qui magnae contentionis diſputationibus inter ſeſe litigando nec vincere tamen, nec vinci, potuerunt. Unde conſtat, rationes utrinque afferri non improbabiles quidem, at quae nec liquido demonſtrent; litemque adeo, quae intra meras opinationes conſiſtat, haud poſſe dirimi. Nec ferme ſpes eſt unquam prorſus diremtum iri, quando nimis ignorantur vires ac fabricatio corporis, mentis natura et facultates, mutuique, quod inter ſeſe alunt, commercii fundamentum ac leges.

648. Dixeris ſane potiora eſſe illorum argumenta, qui utrique hominis principio ſuam ineſſe agendi vim contendunt; ſi cogites, multos in nobis fieri motus (640.), non inſcia ſolum, ſed et refragante anima, quosque contra vellet anxie, non fieri; alios, quacunque cauſa ſuppreſſos, ejus imperio nequaquam reſu-

resuscitari posse, at stimulo corporeo facile: ex superstite autem in partibus de corpore vivo resectis vi vitali (169. 181.) liquere, dari in corpore vires motrices, quae non a mente pendeant: neque porro intelligentem a stulto, aut adultum ab infante, hac re vel minimum differre: quin et in brutis animantibus id genus motuum instinctuumque dari; nec vel vegetantia iis carere: neque tamen eosdem semper adeo rationales esse, ut non et plurimum saepe noceant (104.), denique in illis ipsis etiam moliminibus, quae indubie ad mentem attinent (643.), ciendis hanc non magis sui compotem esse, quam in animi perturbationibus (532. et seq.); appetitusque ejus ac fastidia non modo praeter omnem deliberationem nasci, sed vel invitae quoque abs corpore male affecto veluti obtrudi, pro lege sensibus praescripta, qua ad certas corporis mutationes definitae in anima cogitationes, constanter eaedem, exoriuntur.

649. Haec tamen cuncta (648.), multaque alia, quum aliter sentientes non sint convincendo, neque etiam solide ab his refutari queant; superest, ut quisque, quae maxime placeat, sententiam

amplectatur, aut, quod fortasse consultius, universa quaestio in medio relinquatur, Pathologos saltem aut Practicos non amplius exercitura, donec a Physiologis ad liquidum perducta fuerit. Utrum tanti interest, an Naturae cum Hippocrate morborum medicatrices appellentur, an vero cum aliis Anima, aut Archeus? Quando, qui diversa de his sentiunt, ad eandem tamen sanitatem homines perducunt, et vel medendi methodo etiam convenire possunt.

De Symptomatibus Singulatim.

650. Symptomata quum partem status morbosi efficiant, cum aegro, tum Medico, manifestissimam (88.); videri posset, nullo ad ea cognoscenda opus esse negotio; ut quae sponte in sensus incurrant. Neque profecto opus foret, si sufficeret nosse, quaenam adsint, nec penitior eorundem requireretur inspectio.

651. Praecipuum nempe fontem continent, unde, quae ad detegendam morbi naturam, diagnosin, et prognosin, faciunt, depromuntur (45. 111. 117. 118.). Oportet itaque Medicum, qui iisdem legitime uti velit, singulorum causas, sedes,

des, variasque ad morbum relationes, rite intelligere.

652. Adde, quod morbi etiam compositi, cum in symptomatibus suis, quorum diversa concursione constant, spectantur (417), distinctam horumce notitiam exigant, ut vere ac enodate explicari possint.

653. Pathologia igitur rationalis ordinatam primo tradere expositionem debet omnium et singulorum alicujus momenti symptomatum, in qua inveniri, cum opus est, queat, quaenam cujusvis sit natura, quam diversa origo, et quae aut partes, aut vires, in quoque afficiantur. Nec sane prius multiformes eorundem complicationes, etiamsi curatissime digestas, recte aut proponere, aut cognoscere licet.

654. Ingens autem numerus, ut molestiam creët in ordinando, satis tamen commode, recepta dudum divisione tripartita, ad actiones laesas, vitia excretorum, ac qualitates sensibiles alienatas, refertur (119.). Ulteriorem singularum classium digestionem major minorve simplicitas, mutuusque aliorum cum aliis nexus, haud difficulter determinare pos-

ſunt. Idcirco vitioſitates qualitatum ſenſibilium praemittemus.

Qualitates ſenſibiles alienatae.

655. Quidquid, praeter actiones et excreta, in corpore aegroti, vi morbi a ſtatu naturali mutatum, ope ſenſuum a Medico percipitur, id ad hunc titulum referri debet. Cujusmodi plurima ſunt, quae, etſi quandoque parum aut nihil incommodant, notari tamen atque intelligi debent; ut latentes intus cauſae morbique, ex quibus profluunt, inde cognoſcantur. Praecipua tantum attingemus.

656. Color ſuperficiei corporis, quae viſui patet, ex permiſtis integumentorum et, qui proxime ſubſunt, translucentium ſuccorum, aut et ſolidorum, coloribus conſtans, uti multa etiam in ſanis varietate ludit, ita pluribus cauſis modisque vitiari poteſt. Interceptus, aut nimius humorum influxus; eorumdem fluentium (399.), impactorum (400.), effuſorum (402.), ſecretorum (405.), nutrientium (404.) errores varii; cacochymia multiplex; craſis per πεπασμὸν (637.), admixtionem, ſeparationem, coagulum, attenuationem, corruptio-

ruptionem, mutata; vitium ipſius ſubſtantiae integumentorum aut, quae ſubjacent, partium, maximopere eo faciunt. Inde omne genus morboſae decolorationis in pallidum, rubrum, flavum, vireſcens, lividum, purpureum, fuſcum, nigrum, ſive univerſim, ſeu in ſingulari modo parte obtineat, explicari poteſt.

657. Foetor acidus, putridus, rancidus, fracidus, animam, perſpirabile, ſudorem, ſputum, alia excrementa, humores, partesve, praeter naturam inficiens, quam multiplici materie cauſaque naſcatur, ex ſupradictis (307. 310. 312. 313. 314. 325. 327. 328. 375.) eluceſcit.

658. Calor ſani corporis nativus, circuitus vitalis comes, exceſſu ſupra calorem atmoſphaerae menſurandus, ſicubi in morbis ad enormem gradum intenditur, ponit impetum humorum vehementem, magnam vaſorum reſiſtentiam, ſanguinem copioſum, valde denſum, diatheſin hujus inflammatoriam (355. 367.), aut nimis oleoſam (356. 364.), cacochymiam acrem, putredinem, rancorem, motum vitalem auctum (170.), hinc irritamenta a foris ingeſta, applicata, aut intus concitata (171.). Augeſcit etiam magis, cum calor externus, aut prohi-

bita ventilatio, acceſſerit. Poteſt adeo pro conditionum concurrentium numero, intenſitate, duratione, ſede, magis aut minus excedere, totumque corpus, aut partem modo, occupare. Unde patet non infrequens id ſymptoma eſſe, nec paucos morbos comitari. Effectus autem, quos producit, ex (424. 425. 466. 467. 509. 1.) perſpiciuntur.

659. Sponte hinc fluunt, quaecunque ad caloris imminuti intellectum pertinent. Nec latent cauſae atque conſecutiones caloris ac frigoris alternantis, aut in diverſis corporis partibus eodem tempore inaequalis.

660. Utrum morboſa affectio etiam in homine ignem ciere electricum poteſt, qui fulgurante ictu ſeſe manifeſtet, cum corpora aliena contactum minantur? Symptomatis inauditi ſuſpicionem noviſſimum quidem exemplum movit, nec plura tamen deinceps confirmarunt. An huc referri quoque debent ſpontanea hominum incendia, et vel ad cinerem uſque conflagrationes, quae in hiſtoria medica memorantur?

661. Duritia partium morboſa naſcitur ex rigiditate (164.); intemperie ſicca (386.); contractione (209. 5.); errore nutri-

nutrimenti (404); diſtenſione ab humoribus multis (385. 387. 394.), valde motis (409.), ſpiſſis (282. 284. 367.), congeſtis, impactis (209. 1.), errantibus (400. 402.), concretis; emunctoriorum obſtructione; luxatione (226.), hernia (230.), fractura (217.), tumore vario, etc. His autem contraria mollitudinem inducunt. Renixus juſto major aut minor, qui auctam minutamve elaſticitatem (160. 165.), ut ſymptoma, comitatur, inde quoque intelligitur. Nec obſcura eſt ratio humiditatis et ſiccitatis nimiae, quam morbi aliquando inducunt.

662. Superficies partium laevitate vitioſa peccat, cum in callum dureſcunt integumenta, aut contentis ultra modum diſtenduntur, aut, quae plenitudine protuberant, vaſcula, ob influxus vitalis defectum collapſa, ſubſidunt. Inaequalitatem contra efficiunt ſuccorum diſtendentium ſubductio; vaſculorum turgor ab humoribus nimia copia appulſis, aut ob conſtricta oſcula elabi impeditis; eroſio ab acri; ſubſtantiae degeneratio; eruptiones multifariae, etc.

663. Magnitudo corporis partisve praeter naturam aucta vel imminuta; quanquam ſupra (260.) inter morbos in-

ſtrumentarios memorari debuit; frequentius tamen ſymptoma eſt, quam morbus, locumque ideo inter qualitatum ſenſibilium vitia meretur (262. 263).

664. Exceſſus, omnis generis tumorum (262.), qui aut univerſam corporis ſuperficiem, aut partem ſingularem, occupant, comes, ponit vel volumen materiae auctum, vel exſuperantem ejus quantitatem, nititurque contentorum ad continentia ratione ultra modum aucta, atque ex doctrina de morbis ſolidorum continentium (200. ad 211.) rite applicata maximam partem intelligitur. Adjungit ſeſe fractis (217.), luxatis (226.), herniis (230.), prolapſis (248.), aberrantibus (256.), male conformatis (259.), luxuriantibus in exoſtoſi, condylomate, ſarcomate, fungo. Eſt et conſecutio diſtenſionis a rarefactis, ab obſtructis (209. 1.), ab humorum abundantia (385. et ſeq.), a multiplici cacochymia, ab errore fluentium (399., impactorum (400.), effuſorum (402. 403.), nutrimenti (404.), ab affluxu in partem nimio (411.), ſtagnatione (410.), refluxu impedito, etc.

665. Minuta quantitas a contrariis conditionibus pendet. Succorum inopia (293. 395. 396.), deficiens influxio

(411.)

(411.), ſolidorum collapſus, contractio (209. 4. 5.), eroſio, maxime huc faciunt. Unde evacuationes enormes, maraſmum, tabem, ἀτροφίαν, totius aut partis, comitatur. Memorabilis praecipue eſt, quae ſubito in morbis ſeſe prodit, ſubſidentia, vel habitus univerſi, vel partium ſingularium, quae tumuerant. Spaſmus humores intro compellens, κενεαγγεία, circulatio elanguida aut ceſſans, vis vitae defetiſcens, metaſtaſis, gangraena, tum fere in cauſa eſſe ſolent.

Excretorum vitia.

666. MULTIMODIS quidem vitiari excretiones poſſunt, ſive actum excernendi ſpectes, ſive partem, unde excernitur, ſeu materiem denique, quae foras prodit. Horum tamen quamplurima non adeo propria ſunt huic titulo, ut non rectius alio referantur. Haud pauca ſane morbi nomen merentur, ſupra (401.) inter errores humorum jam expoſita. Plura ad cauſas morborum pertinent, ſuo quoque loco (555. et ſeq.) ante tradita. Alia, etſi ſymtomatum rationem habent, potiori tamen jure actionibus laeſis annumerantur, quia non id, quod excernitur,

ſed

ſed ipſa excretio, peccat. De retentorum vitiis, quae hoc quoque loco ab auctoribus commemorari ſolent, eadem valent. Quum igitur et quantitas materiae excretae, deficiens, aut excedens, commode inter excretionum laeſiones tractari poſſit; ſuperſunt modo, quae in qualitatibus excretorum a ſtatu naturali mutata ſeſe produnt, hic exhibenda. Atqui horum multa variis locis (401. 555. 566. 582. 602.) jam tradita ſunt: omnia vero et ſingula, cum praecipuam habeant in doctrina ſignorum utilitatem, ſpecialior eorundem expoſitio, ad Semioticam Pathologicam (16. 11.) potius ableganda, cum maxime nos morari non debet.

Actiones laeſae.

667. SYMPTOMATUM, quae in morbis ſeſe manifeſtant, haud alia majoris momenti ſunt, magisque aut aegros aut Medicum, urgent, quam quae functionum exercitationem perturbant. Unde accuratam ſingula, prout ſuis ex cauſis profluunt, expoſitionem merentur.

668. Difficile tamen eſt in tanta rerum multitudine, tamque arcto nexu, ordi-

ordinem invenire, qui justae methodi legibus examussim respondeat. Quae molestia, gravis Physiologis, Pathologis etiam gravior, nec prorsus superanda, dissensionem inter Systematicos haud minus tolerabilem, quam inevitabilem, reddit. Ordiemur itaque a vitiis illarum facultatum, quae per universum corpus diffusae, aut multis partibus communes sunt; ut quae deinde sequentur, singularium actionum laesiones clarius intelligi queant.

Sensationes molestae ex morbo.

669. SENTIRE mentem dicimus, cum ex corporis sui affectione ideas concipit. Id qua ratione fiat, explicare non est Medici (65.). Aptitudo autem ad ciendas sensationes, latissime, per corpus diffusa est: uti et permagna datur rerum, quae sentiuntur, varietas. Organa nacti sumus sensoria, singulari quaeque apparatu, suis disposita locis, quorum interventu qualitates sensibiles rerum extranearum nobis, suo quaelibet modo, exhibentur. Inest praeterea in multis partibus sensibilitas quaedam, quae de naturae necessitatibus monet, cumque opus est,

eſt, ad ſatisfaciendum iisdem compellit. Denique et ſenſus aliquis univerſo corpori communis datur, cum prioribus nequaquam confundendus, morborum praecipue comes, quo fit, ut mens doleat, angatur, agitetur, quum injuria partibus quibusvis infertur. Is igitur, etſi peculiare organum nullum habet, prae ceteris tamen primo loco conſiderari meretur, tum ob frequentiam et violentiam ſymptomatum, quibus obnoxius eſt, tum quia et reliquis ſenſationibus ſeſe immiſcet.

Dolor.

670. DOLOR, qui ad Medicum pertinet, eſt triſtis ſenſatio ſui generis, quam ita percipit mens, ut ſemper ad aliquam ſui corporis partem, tamquam quae vim patiatur, referat. Dolet itaque, quia corpori ſuo male eſt, hocque reſtituto praeteriti doloris ſine dolore reminiſcitur. Immodicum vero, quod in ea ſenſatione eſt, facit, ut mens non minus inde, quam corpus, aegre habeat, malletque non tam vehementer affici.

671. Quum igitur dolor ponat ſenſationem nimis intenſam; patet eum niti

ti mutuo inter mentem et corpus commercio; ſedemque habere non magis, quam ſentiendi facultatem, limitatam, quae per univerſum hujus ſyſtema, perque omnes et ſingulas corporis partes ſenſiles diffuſa ſit; et, quae ad ſentiendum in utroque hominis principio generatim requiruntur, conditiones ad dolendum quoque requiri. Has ideo, quousque a Phyſiologis legitime exponuntur, tironi notas hoc loco poſtulare licet (27.).

672. Corporeum vero, quod in quavis ſenſatione concipi poteſt, reducitur ſolummodo ad certas partium ſenſilium mutationes, curſu non interrupto, per continentes nervos, in commune ſenſorium ordinate perlatas. Unde conſequens eſt, ut affectio, qua dolemus, ſita ſit in mutatione partium ſenſilium nimis violenta, quae cohaeſionem, tenorem, vires earundem, in periculum adducat, injuriamve continuis nervorum fibrillis, vel et ipſi, unde hae oriuntur, medullae inferat, aut ſaltem intentet. Oportet ſane mentem contriſtari, ubi horum aliquid evenit in illo ſyſtemate, cujus integritas naturae humanae tam utilis ac neceſſaria eſt (532.). Potentiae dolorificae, con-

consecutiones gradusque varii dolorum, id ipsum quoque confirmant.

573. Quippe dolor nascitur, cum partes sensiles, vi externa internave, ultra, quam commode ferre queant, distrahuntur, aut percutiendo, contundendo, comprimendo, stringendo, contorquendo, vulnerando (218.), laeduntur, aut denique acri vario stimulantur, roduntur, uruntur. Quocirca innumeris morbis, ut symptoma, et quod prae ceteris potissimum urgeat, supervenit. Morbi cavitatum excedentium (203.), deficientium (209.), fracturae (217.), vulnera (218.), luxationes (226.), herniae (230.), procidentiae (248.), tumores (262.664.), cacochymiae acres (289), plethora (387), errores fluidorum varii (398.), vitiati humorum motus (496.), dolorem plerumque comitem habent.

674. Est tamen, ubi sola etiam sensorii communis mutatio, aliunde nata, haud aliter dolere facit, quam si pars aliqua corporis injuriam pateretur, nulla interim potentia dolorifica (673.) extra sensorium ibidem praesente. Cujusmodi fallaciam in alias quoque sensationes cadere posse, insomnia atque deliria manifeste docent.

675.

675. Efficit dolor, ſi vehemens eſt, in mente inquietudinem, laborem, angorem, pervigilium, impotentiam, delirium, vitae deſperationem: in parte affecta vis vitalis irritamentum, vibrationes tremulas, tenſiones, ſpaſmos (195.), auctum humorum affluxum, congeſtionem, tranſitum impeditum, frigus, calorem, inflammationem, gangraenam, inſenſilitatem, torporem (196.), reſolutionem. Mutua autem conſenſione etiam in aliis partibus dolores, ſpaſmi, convulſiones, imbecillitas, paralyſis, circuitus humorum univerſalis perturbatio, febris, motuum vitalium languor, ſyncope etc. creantur. Tot malorum auctor ſimul tamen vitae cuſtos eſt, qui et de praeſente noxa, ejusque conſecutionibus, mature monet, et compellit ad medelam quoquo modo quaerendam.

676. Inde magnitudini injuriae, periculive, plerumque reſpondet doloris gradus, qui tanto fere vehementior eſt, quanto potentiae dolorificae actio intenſior proximam minatur deſtructionem. Augmentum quoque addit partis affectae fibrarum gracilitas (161. 1.), tenſio naturalis major, irritabilitas (190.), ſenſus tener; quibus ſi jungitur temperies

corporis ſicca, animusque impatiens, dolor in immanem excreſcit. Summus ideo brevis, nec corpori nec menti diu tolerabilis, cito aut ſolvit aut ſolvitur.

677. Praeterea, quoniam ſenſationi triſti, quae in quibuslibet doloribus ineſt, ſeſe inſuper in ſingulis fere adjungere ſolet idea modi, quo vis dolorifica in partem agit, praecipuae ſic dolorum differentiae, ac totidem veluti ſpecies conſtituuntur: uti ſunt diſtendens, gravans, ſtringens, contundens, pulſans, ſcindens, pungens, terebrans, rodens, mordax, urens, etc. Nimirum ob perceptionum ſimilitudinem comparamus, quas dolentes in corpore patimur, injurias cum laeſionibus, quas vires, mechanicae, phyſicae, chemicae, foris admotae, nobis inferunt. Nec improbabile eſt, ſimiles ſenſationes ſimilibus cieri fibrarum ſenſilium mutationibus, atque ideo abdita ex manifeſtis poſſe explicari. An vero et recte hinc inferas, cujusvis doloris cauſam nunquam non potentiae, quae continui ſolutionem inferre partibus minetur, deberi; aut ſaltem in ſolidorum potius violenta affectione, quam in fluidi per nervos impedito motu, ponendam eſſe?

678. Ἀνωδυνία, igitur, qua aegri, in quos vis dolorifica agit, non dolent tamen, inter morborum ſymptomata non minus, quam dolor, referenda eſt. Etenim aut pars affecta ſenſu caret, preſſis, ſtupefactis, deſtructis nervis ob tumorem, luxationem, fracturam, contuſionem, vulnus, ſphacelum, etc. aut ſenſorio communi impedito univerſa vis ſentiendi labaſcit in apoplexia, ſopore, epilepſia, convulſione, catalepſi: aut eodem perturbato mens alienata eſt in deliriis: aut denique languente vi vitali, ac vigore circulationis, ſenſilitas partium collapſarum una torpet in extrema debilitate, animi deliquio, ſyncope. Ex tranquilla tamen doloris patientia haud ſatis tutum videtur concludere, partibus irritatis ſenſum vel negaſſe naturam, vel morbum abſtuliſſe.

679. Pruritus, ſenſatio dolori proxima, voluptas ex mutato corpore nimis intenſa, hinc doloris initium, ponit irritationem ſenſu quidem non triſti, ſed inquietante tamen, moleſtam, qua fit, ut partem affectam ſcalpere, fricare, aut quovis alio modo agitare, veluti cogamur. Uti igitur leves motus mechanici, tactio, reptatio, frictio, vellicatio, partibus,

tibus, quae, quia tangi non consueverunt, delicati sensus sunt, titillationem inferunt: ita pleraeque potentiae dolorificae (673.), cum mitius agunt, partemve minus teneram afficiunt, pruritum creant. Acre praesertim multiplex, leni rosione morsuve in cutim agens, saepissime hunc sensum movet. Unde in scabie, impetigine, herpete, erysipelate, variis exanthematibus, pernione, phtheiriasi, aliisque vitiis cutaneis, tum et in variis cacochymiae acris speciebus, frequens haec molestia. Est etiam in hac affectione locus consensui, quo fit, ut irritamenta, quae in alias partes agunt, in aliis pruritum cieant. Docent vermes intestinales et vesicae calculus.

680. Quando autem plerisque naturae necessitatibus sua quoque indita est pruritus species, qua nos admoneant invitentque ad motus sibi competentes; patet istam sensationem non solius esse superficiei, sed ad internas etiam partes pertinere, inque his ex morbo incitari vehementius posse, ut tempore graduque incongruis urgeat. Referre igitur huc licebit multifarios illos stimulos, qui ex causa morbosa oriundi, aegrotantes ad tussim, sternutationem, oscitatio-

tationem, pandiculationem, excretiones varias alvi, urinae, etc. compellunt.

681. Eſt et interior quidam pruritus, absque frictione, aut motu animali, intolerabilis, quem in hyſtericis et hypochondriacis quandoque membra ſingularia intus concipiunt, nullo licet ſtimulantis acrimoniae indicio. Irritabilitati (190.) hunc attribuas, qua fibrae partis, in oſcillationes immoderatas actae, facultatem ſentiendi inquietant. Is aliquamdiu durans ſponte tandem, more ſpaſmorum, ſolvitur; at nonnunquam periodicus ſtatis intervallis denuo accedit.

Anxietas.

682. Uti praeſente malo dolemus; ita imminentis, quod averti aut ſuperari nequeat, idea meticuloſos ſolicitat angitque, eo quidem vehementius, quo malum gravius, minusque aut evitabile, aut eluctabile videtur. Anxietas idcirco triſtis quidem pariter, ac dolor, ſenſatio eſt, at cum hoc minime confundenda, longe terribilior, ipſa quandoque morte intolerabilior.

683. Quodſi igitur anxia mens redditur ex corpore ſuo affecto, credibile

 omni-

omnino eſt, cauſam ſubeſſe corpoream, quae commune ſenſorium ita mutet, ut ideae excitentur, quas mens nec absque horrore percipere ac contemplari, nec tamen et a ſe depellere poſſit.

684. Perinde autem fuerit, utrum ſenſorii communis illa (683.) mutatio debeatur reſpondeatque ſtatui corporis revera periculoſo, cujus perceptione animus merito angatur; an conditioni minoris momenti, quae panicum modo terrorem incutiat (674.). Anxietatis gradus utrobique idem eſſe poteſt; quamvis conſecutiones multum diverſae ſint. Ita mutui inter mentem et corpus commercii leges ferunt. Inde vero notabilis oritur anxietatum differentia.

685. Quum delirantes, idearum confuſione, triſtia quaeque et calamitoſa ſibi fingunt impendentia, mens in extremum ſaepe angorem conjicitur, corpore licet non, niſi ex turbis ſenſorii communis, laborante. Hinc et plerumque mala a foris potius, quam ex morbo, ſibi imminentia imaginario metu proſpiciunt. Haec ſpecies in phrenitide et melancholia frequens, dolori imaginario (674.) ſimilis, moleſtior, quam periculoſa (684.).

685. *Duplici autem modo anxietas concipi debet. Altera* (682—685.) *in metu et angore imminentis mali consistit, dum corpore vel non, vel parum, et cum futuri maioris periculi metu affecto, tristis sensatio ex imminenti malo oritur, quod auerti aut superari nequeat* (682.). *Haec anxietas proprie est, ex metu, terrore, horrore futurorum euentuum, quos sibi ex suo praesenti statu certos praesagit aegrotans, nata: isque metus justus esse potest, corpore a morbo vehementer affecto* (684. 685.), *aut impressione ex morbo per se leui ad mentem per sensibiles praeter naturam et delicatos neruos cum impetu quodam deducta; injustus vero, si corporis affectioni per se non periculosae mentis talis affectio adjuncta est, vt imaginatio, et cum ea judicium laedatur aegrique de futuro euentu longe aliter, quam par est, judicent.*

686. *Altera penitus a sensu corporeo resultat, non tam in futuri mali metu, quam potius in tali molesta ex praesenti morbo sensatione consistens, quae nata ab omnibus, quae circulum sanguinis generatim, et per spirationis organa intercipiuut, aut quae repletionem quamcunque verum, apparentem, constituunt, aut grauando, irritando, constrictionibus in aliis locis excitatis, aut in ipsis spiraculis, spiritus ducendi difficultatem, pectoris oppressionem, ardorem et inquietudinem, pariunt.*

686. Verior *itaque* (686.) ex corpore naſcitur anxietas, ſicubi obſtaculum quoddam conatibus, quibus natura utitur ad expellendum aliquid, quod ſibi intus incommodat, magnopere reſiſtit; ut metus ſit, ne non ſufficiant. Anguntur ideo, quibus, cum materies excernenda praeſto eſt atque urget, excretio tamen alvi, lotii, perſpirabilis, ſudoris, ſputi, ſanguinis, etc. impeditur. Inde et molimina ad haemorrhagias, vomitum, partum, evacuationes criticas, metaſtaſes, exanthemata, aut ad calculum, venenum, aliave heterogenea noxiaque eliminanda, nec non flatus concluſos, et ſubito, ante tempus, ſuppreſſas excretiones, vel intro repulſas eruptiones, angor comitatur.

687. Porro frequentiſſimam anxietatis cauſam ponunt impedimenta reſpirationis, quae cum et ſanguinis per pulmones trajectui obſtent, ancipiti vitam periculo premunt. Multiplex itaque vitium pulmonis varia materie infarcti, ſpasmo conſtricti, tumore, tuberculis, vomica, ulcere obſeſſi, aut aëre, aqua, ſanguine, pure, tumore, aliove thoracis affectu extrinſecus compreſſi; fiſtulae item aëriferae fauciumque, qua ſpiritus mea-

meare debet; tum diaphragmatis ac ceterorum, qui reſpirationem adjuvant, muſculorum; aëris denique frigore, calore, levitate, humiditate, elateris defectu, ſitu, inquinamento, peccantis multifaria labes (422. ad 445.) huc faciunt.

688. Paris efficaciae ſunt, quaecunque cordis actionem, atque adeo circuitum vitalem vehementer turbant; ſive vitium ſubſit cordis, ſpasmo, inflammatione, eryſipelate, ulcere, polypo, aneuryſmate, hydrope, tumore quovis, concretione, affecti, alienave materia obſeſſi; ſive aliunde nata obſtacula impediant, ne cor moderata contractione ſanguinem ſatis libere cavis ſuis expellere queat. Imminens hinc circulationis ſuffocatio naturam urget, ut motibus duplicatis, non ſine ſumma anxietate, contra inſurgat.

689. Quocirca et ſpaſmi, repletiones, diſtenſiones, obſtructiones, compreſſiones viſcerum, quae abdomine continentur; ſicubi humorum per vaſa motum valde impediendo reſiſtentiam cordi augent; eo quidem certius in angores conjiciunt, quo magis una et diaphragmatis pulmonumque motui obſtant, et

proximum cor laceſſunt. Huc igitur anxietates hypochondriacae referuntur.

690. Poſtremo quoque angimur, cum ob vim vitae quacunque cauſa defetiſcentem (170.), motuum vitalium ac circuitus humorum extinctio intentatur. Docent violentae nervorum affectiones, cordis debilitas, ingruens animi deliquium, ſphacelus vitalia invadens, etc.

691. Ex quibus (685. ad 691.) rite conſideratis perſpicitur, plurimis ac valde diverſis morbis iſtud ſymptoma ſeſe comes adjungere; et, quamquam haud aeque ſemper periculoſum eſt, nunquam tamen a prudenti Medico negligendum eſſe. Syſtemati vitali datus hic monitor magis etiam, quam dolor (675.), attendi meretur; quum ſaepe aut periclitari vitam annunciet, aut hac quoque mortem reddat praeſtabiliorem.

Exercitationes ſenſuum laeſae.

692. Offensis ſenſus communis, proximum eſt, ſubjungere, quae ad ſenſus ſingulares, quos externos internosque vocant, pertinent, ſymptomata. Verius haec, quam priora, ad actiones laeſas

ſas referuntur; quum vitio organorum ſenſatio non, ut decet, perficiatur. Uti vero officina ſenſoria pro diverſitate qualitatum ſenſibilium, quas aliis atque aliis partibus excipere debet, multum diſcrepante apparatu eſt inſtructa; ita multiplex hic a ſtatu ſano alienatio, nec ubique eadem, accidere poteſt. De ſingulis igitur ſeorſim agendum. Iſtud tamen omnibus commune eſt, ut, inſtar ceterarum actionum, ſanitatem ſuam in mediocritatis quodam ambitu, congruoque tenore, poſitam habeant; a quo cum ultra citrave deflectunt, in vitio eſſe recte dicuntur. Laeſiones adeo in univerſum ad defectum, exceſſum ac depravationem commode reducere licebit.

Tactus Symptomata.

693. TACTUS, in ſuo genere prae reliquis ſenſibus latiſſime diffuſus, aut valde imminuitur in ſtupore, aut plane aboletur, idque vel in parte ſingulari, vel in multis ſimul, totove undique corpore. Utrumque vitium cauſis fere iisdem, at gradu diverſis, debetur. Epidermis, tactus organum contegens, callo,

lo, elephantiaſi, lepra corticoſa, ſquamea, cornea degeneratione indurata, incraſſata, aut in ſugillatione, bullis, puſtulis, interpoſito ſanguine, ſero, pure etc. a ſubjecta cute diſtans, in culpa eſſe poteſt. Alias cutis varia labe nimiae rigiditatis, laxitatis, collapſus ſuorum vaſculorum, contractionis, infarctus aquoſi, mucoſi, laborans, aut conſtrictione, contuſione, gelu, igne, gangraena, emortua, organum una adficiendo, ſenſum obtundit aut delet. Nervi denique in originibus, progreſſu, aut extremis ſuis, preſſione, vulnere, contuſione, roſione, exſiccatione, emollitione, extenuatione, vis vitalis defectu, humoris boni inopia, materiae morboſae depoſitione, uſu narcoticorum, aliisve noxis inhabiles redditi, huc quam maxime faciunt. Quo et referri debet, quae morbos ſenſorii communis, apoplexiam, lethargum, epilepſiam, catalepſin, etc. comitatur, inſenſilitas univerſalis. Tum vero et virtutis motricis vitioſitas accedit, qua tamen correcta ſenſus impedimentum quandoque perſtat, aut hoc ablato illa ſupereſt.

694. Acuitur etiam tactus ultra modum, magno incommodo, quum attre-

ctatio,

ctatio modica in dolorem vertitur, ut eam quoque refugiant partes. Id fit, ubi organum tegmine ſuo caret, aut hoc nimis tenui veſtitur, aut ipſum juſto tenerius, mobilius, plusve juſto tenſum eſt. Intertrigine, vulnere, ulcere, inflammatione, eryſipelate, abſceſſu, contuſione, dolore hyſterico, podagrico, vario ſpaſmo, affectis hinc accidit. In morbis ſpaſmodicis quandoque univerſa fere corporis ſuperficies ita tenereſcit, ut vel intentatus modo attactus etiam formidinem incutiat.

695. Depravati tactus ſpeciem tum imminutio ejus (693.), tum nimium acumen (694.), in ſe habet: in utroque enim caſu organi minor majorve affectio facillime qualitatum perceptionem confundit. Alia erroris ſpecies eſt, cum ſenſatio ad perverſam partem refertur (674.)

Guſtus Symptomata.

696. TACTUI proxime affinis guſtus ſimilia patitur ex ſimilibus cauſis. Id tamen privum linguae, principi hujus ſenſus inſtrumento, creberrime in morbis, etiam non ſuis, ſordes, mucum, cru-

ſtam,

ſtam, contrahere, obſideri aphthis, etc. Saliva quoque, quae plurimum ad guſtatum facit, permultis obnoxia eſt cum quantitatis, tum qualitatis, vitiis. Adde, quod appetentia, quae ſaporum gratiam mire augere poteſt, raro in aegris vigeat, faſtidium contra et nauſea ſaepe ſubnaicatur. Inde frequens origo multiplicis laeſionis hujus intelligitur.

697. Prae ceteris notabilis eſt guſtus alienatio, quum aegri conqueruntur de ſenſu ſaporis ſalſi, amari, urinoſi, acidi, aeruginoſi, dulcis, rancidi, cadaveroſi, quo ſibi videantur imbuta eſſe, quaecunque ingerunt. Cauſa plerumque in ſaliva haeret vitioſa materie infecta, ſive hanc ex lympha ſanguinis attulerit, ſive ori infuſa demum contraxerit ex quacunque partium, quas alluit, aut vicinarum, labe. Inde, quae ſerum maxime affectant, cacochymiae acidae, biloſae, putridae, rancidae, ſalſae, aliaeve acres; tum ſordes, cruſtae, ulcera, oris, linguae, dentium, gingivarum, palati, narium, faucium, oeſophagi, ventriculi, trachaeae, pulmonum, etc. hoc ſymptoma producunt. Organi quoque guſtatus et papillarum varius tenſionis aut laxitatis ſtatus, vel ſuperſtes a priore ſapore

pore affectio, quin et ſenſorii communis perturbatio eo conferre poſſunt. Liquet adeo, cur alienus ſapor ſaepiſſime quidem ex morbo, quandoque tamen et bono omine ex perfecta materiae morboſae correctione profluat.

Olfactus Symptomata.

698. OLFACTUS nonnunquam ex cauſa morboſa nimium acuitur, ut vix odora etiam percipiantur, odorata autem et ad majorem diſtantiam, et longe fortius, hinc ſternutationem, convulſiones, animi deliquia, aliquando inducant. Membranae narium, ob muci defectum, nuditas, ſiccitas, nimia tenſio, papillarum olfactus excedens mobilitas, delicata aut nervulorum huius ſenſus proprie, aut univerſi ſyſtematis ſenſorii, teneritudo, in acutis et chronicis malis id efficere valent. Inde in hyſtericis, hypochondriacis, phreniticis, ex morſu rabidi canis hydrophobis, maxime occurrit.

699. Frequentior eſt olfactus obtuſio ac abolitio, quae ἀνοσμία dicitur. Obſtructio membranae narium in gravedine; humiditas nimia in coryza; muci abundantia, craſſitudo; heterogenea intro

tro admiſſa, lapis, gypſum, vermis, etc.; tumores quicunque, polypus, ſcirrhus, cancer, exoſtoſis, vulnus, contuſio, ulcera depaſcentia, caries, callus, alarum naſi concretio; vitia conformationis etc. variis modis iſtas laeſiones inferunt. Quaecunque porro aëris per nares tranſitum inhibent, impedimenta multifaria: ut et odoratus nervulorum, qua in papillas abeunt, aut altius, compreſſio, induratio, reſolutio, emollitio, deſtructio: quo referri etiam poteſt, quae ex perpetuo ſaniei cancroſae halitu contrahitur, ſentiendi impotentia. Denique, quae ceteros etiam ſenſus opprimunt, ſenſorii communis mala, apoplexia, epilepſia, catalepſis, morbi ſoporoſi, etc. huc faciunt.

700. Depravatio ponit vel alienum eorum, quae odorata ſunt, odorem, vel odoris in atmoſphaera inodora perceptionem. Naſcitur ergo, quum organum olfactus a materie olente, quae in corpore haeret, ita afficitur, ut odor a foris afflari videatur. Mucus, ſaliva, pus, ichor, tabum, ſordes, corrupta, putrida, rancida, in cavernis narium, ore, dentibus, gingivis, lingua, faucibus, oeſophago, trachaea, pulmonibus, ſtabulantia; aut

aut olidi vapores e ventriculo aſcendentes, iſtam fallaciam inducere valent. Facit et longior mora inter res valde odoratas impreſſionem permanentem, quae tarde demum eliditur. Turbis ſenſorii communis hoc vitium quoque nonnunquam deberi, analogia docet (974.): tum vero rarius in ſolum olfactum cadit.

Auditus Symptomata.

701. LAEDITUR auditus quadrifariam, augmento puta, abolitione, hebetatione ac deprauatione. Unde ὀξυηκοΐα; κώφωσις, ſurditas; βαρυηκοΐα, gravis auditus; tinnitus, bombus, echo, ſuſurrus, ſibilus. Quae ſymptomata tanto quidem majoris momenti cenſenda ſunt, quo et ſenſum diſciplinae nobiliorem infeſtant, et cauſas ſedesque magis abſtruſas habent, et minus ad ſanandum facilia ſeſe praebent.

702. Ὀξυηκοΐα dicitur auditus ſumma ſenſilitas, quae vel leves quoque ſonos vix ferre queat, quin aegritudo, dolor, convulſio, delirium, aut deliquium oriatur. Debetur nimiae tenſioni, ſiccitati, mobilitati organi acuſtici, cerebri, nervorum, membranarum. Supervenit

ideo morbis iſtarum partium acutiſſimis, inflammatoriis, ſpaſmodicis, doloroſis, otalgiae, phrenitidi, cephalalgiae etc. Comitatur et deliria febris expertia, maniam, melancholiam. Hyſtericis ceterum, hypochondriacis, puerperis, ex gravi morbo etiamnum teneris, in pervigilium pronis, ſummatim, irritabilibus (190.), familiare malum.

703. Cauſarum, quae auditum obtundunt, longe major et numerus eſt et diverſitas, nec minus multiplex ſedes. Plurimae nimirum partes ſunt, et plures etiam ſingularum conditiones, quae cum ad integritatem hujus ſenſus faciant, vitiari nequeunt, quin functio impediatur. Phyſiologia igitur hic potiſſimum praelucere Pathologiae atque ordinem dicendorum monſtrare debet.

704. Organi maximopere compoſiti, quae huc referri merentur, vitia fere haec ſunt. Auriculae defectus; meatus auditorii anguſtia, ab aliena materie repletio, obturatio, concretio; membrana tympani relaxata, callo rigens, in os durata, ſordibus obſeſſa, luxuriante carne craſſeſcens, rupta, adeſa, aut quoquo modo deficiens; auditus oſſiculorum luxatio, anchyloſis, caries, diſſolutio, abſentia;

cave-

cavea tympani ſero, pituita, cruore, pure, ichore repleta, ſorde inquinata; veſtibuli, cochleae, labyrinthi, infarctus, conformatio perverſa; membranarum, quae hic expanſae ſunt, laxitas, ſiccitas, induratio, degeneratio, deſtructio; vaſculorum a congeſtis humoribus tumor, obſtructio; muſculorum internorum paralyſis, ſpaſmus; tubae Euſtachianae conſtrictio, ςενοχωρία, obſtructio, concretio, exeſio. Horum ſingula ſeorſim, plurave complicata, quum obſtent, ne tremores ſonori, ut decet, excipiantur, colligantur, reflectantur, transmittantur, imprimantur, vibrationes harmonicas cieant, modis ſane gradibusque diverſis auditum hebetare aut et omnino abolere poſſunt.

705. Organo tamen inviolato, apparatus etiam nerveus, huic ſenſui datus, inde ab organo ad ſenſorium uſque commune, toto itinere, preſſus, deſtructus, marcidus, rigidus, ſtupidus; aut ipſum cerebrum labe univerſali, apoplectica, epileptica, etc. oppreſſum, relaxatum, exhauſtum, aut quovis modo inhabile redditum, quandoque in culpa eſt.

706. Liquet autem ex uſu partium, alia quidem iſtorum vitiorum (704.705.)

gravem modo auditum inducere; alia aut hunc, aut ſurditatem ipſam, ut varia fuerint intenſitate, complicatione, duratione; alia ocyus, ſerius, certo tamen, ſurditatem. Huic porro, niſi natura vel arte mature tollatur, loquelae ignorantia, aut deſuetudine oblivio fere accedere ſolet.

707. Depravate audiunt, quibus, cum nihil ſonat, aures tamen tinniunt, ſuſurrant, ſtrepunt, aut, inſtar echus, ſonos repetunt. Fugax ſymptoma etiam ſanis ſaepe numero accidit, levibus ex cauſis oriundum. Perſeverans diutius, ſive ſolitarium fuerit, ſive morbis aliis adjunctum, majoris momenti, variique ominis eſt. Naſcitur autem, quando tremores, ſonoris ſimiles, in meatu auditorio, membrana tympani, hujus cavea, parietibus atque aëre interno, oſſiculis, membranis, ceterisque interioris organi partibus, cientur a vaſculis diſtributis, ob plenitudinem, preſſionem externam, obſtructionem, inflammationem, ſolito fortius pulſantibus. Unde plethoram, morbos febriles, acutos, inflammatorios, maxime qui caput infeſtant, catarrhos, evacuationes ſuppreſſas, decubitum humorum in has partes vicinasve,

co-

eorundem impetum ſurſum verſum, hinc delirium, ſanguinis ex naribus profluvium, parotides, etc. imminentia, ſaepe comitatur. Muſculorum quoque ac fibrarum motricium in his locis ſpaſmi, tremores convulſivi, in hyſtericis, hypochondriacis, epilepticis, etc. idem efficiunt. Quocirca aut relaxatio, aut tenſio, immodica partium hujus organi, qua nimis facile agitantur, aut motae diutius, quam par eſt, contremiſcunt, huc quoque confert; nec non tubae Euſtachianae varia vitia (704.), quae juſtum aëris intra caveam tympani moderamen pervertunt. Denique et multiplex affectio partis nerveae, quae ad auditum pertinet, inde ab organo uſque ad origines ſuas; tum et encephali, preſſione, irritatione, commotione, aut primario, aut ob mutuam cum aliis partibus conſenſionem, laeſi: ut ſaepenumero haec etiam cauſa ſubſit, quare capitis morbis inflammatoriis, ſoporoſis, catarrhoſis, ſpaſmodicis, nec non ventriculi vitiis, etc. iſtud ſymptoma ſeſe adjungat.

708. Ceterum vix alia functio datur, cujus vitiatae naturam, cauſas, partesque affectas difficilius ſit cognoſcere, certasve curationes determinare. Nec mirum:

quando tam parum eſt, quod de organi abditiſſimi ſtatu ſano, partiumque ejus ſingularum uſu, intelligimus.

Viſus Symptomata.

709. INTER ſenſoria compoſitiſſimus oculus etſi quam plurimas patitur vitioſitates, ſymptomata tamen, quae ad functionem ejus attinent, itidem ad quatuor genera, aucti, imminuti, aboliti ac depravati viſus referre licet. Nec alio ſane nomine hujus ſunt loci. Unde hunc quoque ordinem in eorundem expoſitione ſequemur.

710. Viſu nimis acuto laborant, quorum tam ſenſiles oculi ſunt, ut lucem refugiant, et vel modicam aegre ferant, hinc debiliore quidem videant, fortiore perſtricti caligent. Φωτοφοβίαν vocaveris. Nonnulli ἡμεράλωπας appellant, qui facultate videndi noctu, quam interdiu, magis valent. Hos tamen contra alii potius νυκτάλωπας dicendos eſſe cenſent.

711. Cauſae hujus vitii intelliguntur ex iis, quae de ſimili auditus ceterorúmque ſenſuum laeſione ſupra (694. 698. 702.) tradidimus; modo ad organum viſus applicentur. Inde frequens occurrit in

in ſimilibus (702.) oculorum, capitis, nervorum, affectionibus cum acutis, tum chronicis, aſſiduus praeſertim ophthalmiae comes. Deſuetudo lucis hanc teneritudinem ſanis etiam oculis infert. Maxime tamen huc quoque facit imbecillitas aut impedimentum potentiae, qua pupillam in luce majore conſtringimus; ut ideo haec perpetuo dilatata ſit, μυδρίασι laborans, aut ſaltem ad conſtrictionem non ſatis parata. Quum enim pupillae moderamine lucis appulſae quantitati ſeſe accommodet oculus, patentior introitus clarioris lucis intolerantiam creare debet. Unde patet, cur magno virium diſpendio accedens nimia ſenſibilitas iſtud ſymptoma tantopere intendat. Quod cataracta minor, ad margines tenuior, in medio ſpiſſior, producit, veſpertini viſus genus imminutam potius, quam intenſiorem, ponit aciem, nec adeo hujus eſt loci.

712. Caecitatis cauſae cum et numero plurimae ſint, et natura ac ſede multum diverſae, diſtinctam merentur expoſitionem. Aliae quidem haerent in partibus, quae ante oculi globum ſitae ſunt, aliae in hoc ipſo, iterumque aliae pone eundem, inde ad encephalon uſque.

713. Priores nec facultatem videndi, nec organum, afficiunt, ſed conditiones modo, ſine quibus exerceri viſus nequit. Sunt igitur externa tantum impedimenta, quae oculum lumini inacceſſum reddunt, nec adeo, niſi notham pariunt caecitatem. Huc referuntur vitia palpebrarum: tumor ab humorum confluxu, inflammatione, eryſipelate, oedemate, emphyſemate, grandinibus, tegumentorum exuberantia, carne luxuriante, tumoribus cyſticis, etc. diductioni obſtans; cohaerentia a pituita, gramiis, pure, ſanie ulceroſa, porriginoſa, venerea, interpoſitis; concretio congenita, aut ex inflammatione, ambuſtione, excoriatione, vulnere, ulcere, nata, quod ἀγκυλοβλέφαρον (223.); conſtrictio ab orbicularibus muſculis ſpaſmo affectis; πτώσις denique palpebrae ſuperioris ob reſolutum aut transverſe diſſectum ejus levatorem. Caruncula quoque lacrymalis, et, quae juxta hanc eſt, laxioris adnatae lunula, quum congeſtis humoribus, inflammatione, abſceſſu, turgent, aut degenere augmento ſuae materiae in panniculum, pterygium, etc. abeunt, ita ſupra corneam ſeſe quandoque expandunt, ut lumen intercipere poſ-

poſſint. Alias et vicinarum partium tumores, qui oculo ſuperimminent, ſimile obſtaculum creant.

714. Quae caecitatem inferunt, globi oculi vitioſitates pro multitudine ac diverſitate partium, ex quibus componitur, perquam numeroſae ſunt. Cornea ex inflammatione, ambuſtione, puſtulis, abſceſſu, ſarcoſi, cicatrice, humorum coagulo, etc. varii nominis, coloris, craſſitiei, ſedis, extenſionis, maculis obſcurata, luci impervia: humoris aquei defectus; ejusdem ſanguine, pure, ſordibus mixti, aut in ſpiſſamentum mucoſum, membraneumve, cataractas ſpurias recentiorum, coacti opacitas: pupillae ob varia uveae, congeſtis humoribus turgidae, luxuriantis, flaccidae, convulſae, prolapſae (255.), vitia, obſtipatio, συνίζησις, σύμφυσις, conſtrictio: lentis cryſtallinae aut in corpore ſuo, aut in velamento, opacatae, arefactae, ſuppuratae, colliquefactae, ſuffuſio multiplex; ejusdem tumor, una cum obſcuratione glauca, vicina preſſa ſenſu motuque privans: humoris vitrei ſimilia vitia, cum praegreſſa aut pediſſequa lentis affectione conjuncta: retina tandem compreſſa, calloſa, infarcta, marcida, reſoluta, aut

quavis demum affectione, sive propria, sive aliarum partium, insensilis. Etenim horum singula seorsim, aut plura inter se complicata, multiplices caecitatis species, cataractas, glaucomata, ἀμαύρωσιν, diversis quidem modis atque phaenomenis, producere posse cuique facile liquet, qui Physiologiam hujus sensationis rite intellexerit.

715. Ad tertium genus (712.) pertinent, quaecunque simili ratione, ac mox de retina dictum (714.), afficiunt nervum opticum, huicque impotentiam inferunt: uti et cerebri laesiones multifariae, sive universales, apoplecticae, epilepticae, catalepticae, etc. seu magis singulares, quae videndi facultatem praecipue opprimunt, liberum sensorii communis cum externis sensoriis commercium intercipiendo. Inde, organo licet nulla conspicua labe vitiato, caecitas tamen consequitur, quum ex vulnere, fractura, contusione, obstructione, congestione, effusione, corruptione, humorum, tumore vario, abscessu, liquidi vitalis defectu, virium languore, spasmo, compressio, destructio, inundatio, excesio, extenuatio, collapsus, marcor, constrictio, istis partibus accidit. Qui affectus

ctus ἀμαύρωσις audit, cum ex caufa ftabili oriundus permanet; σκότωμα, fcotomia, ubi, poftquam aliquamdiu afflixit, cito fponte remittit.

716. Vifus hebetudo, ἀμβλυωπία, uti gradu tantum a caecitate diftat, inque hanc faepenumero, ocyus, ferius, tranfit, ita confimilibus caufis, fed levioribus, nafcitur, variosque et ipfa admittit gradus: prout vel fanis quoque non eadem fingulis femperque acies obtingit. Ex fupra (712. ad 716.) dictis ergo intelligitur.

717. Depravatio vifus dicitur, cum imagines cernuntur rerum, quafi ob oculos verfantium, quae tamen nullae funt, aut aliter, quam revera funt, aut recte quidem, fed non ad juftam diftantiam, perverfove cum obtutu oculorum. Multiplex itaque vitium, diverfiffimis e caufis oriundum, morborum plurimorum fymptoma, vel vifionem ipfam ponit alienatam, vel videndi modum.

718. Quodfi caufae internae retinam in fimiles agant tremores, uti lux folet ab externis objectis reflexa, pro ftatis fenfationum legibus, ideas fimiles nafci oportet, et ad objecta externa, quafi ab his

his oriantur, referri. Unde prima visus fallacia, imaginatio dicta, quae floccos, scintillas, μαρμαρυγὰς, imagines varias, vel adductis etiam palpebris profert. Vascula retinae aut huic vicinarum partium, humoribus turgida, ultra modum micantia, quum proximam ejus medullam agitant, plerumque hoc symptoma pariunt; frequens ideo in oculorum contusione, inflammatione; tum et in plethora, et morbis acutis, febrilibus, inflammatoriis, catarrhosis, spasmodicis, qui nimio humorum affluxu caput affectant; saepe imminentis desipientiae aut haemorrhagiae prodromus. Comitatur et Φωτοφοβίαν (710.), sicubi tenerior oculus nimia luce percellitur. Alias et pone oculum in nervo optico, ipsove cerebro, sedem habet ex vitiis supra (707) memoratis nascens.

719. Retinae alia puncta obstructione, ecchymosi, callo, compressione, relaxatione, insensilia; massulae opacae per humorem aqueum, vitreum, lentem, sparsae, cornea maculis obsessa, imaginem objecti punctis, striis, floccis, nubeculis, cancellis nigricantibus interstinguunt, infuscant, iisque oculo immoto aut stabilibus, aut fluctuantibus,

pro

pro varia vitii ſede. Quae altera eſt fallaciae ſpecies. Bullulae aëriae, aut guttulae ſtriaeve oleoſae, pellucidae, ſeorſim in humore aqueo fluitantes, refractione radiorum diſpari, imaginem alienis notis ductibusque mobilibus, etſi non opacis, variare etiam poſſunt. Oculi quoque madidi, aut palpebrarum tarſi extumidi, reflexa luce in pupillam admiſſa, imagini objectorum alienam radiationem affingendo viſum itidem confundunt.

720. Alias et colore non ſuo cernuntur res, quum corneam, humoresve oculi, integra pelluciditate, alienus color inficit. Quandoque et vehemens nervei ſyſtematis affectio hoc vitium parit.

721. Vertigo, δῖνος, hujus etiam loci eſt, qua objecta, etſi ſtabilia, in gyrum agi, titubare, contremiſcere, ſubverti videntur; ut homo quoque, ſtare neſcius, membris vacillet aut proſternatur. Sicubi et viſus una obnubilatur, σκοτόδινος, vertigo caliginoſa, audit. Cauſae ſunt quaecunque compreſſione, ſuccuſſione, agitatione, infirmatione, fibrillarum cerebri, nervi optici, retinae, motus regulares interturbant; ſive proxime

xime in iſtas partes agant, ſive per conſenſionem. Cuiusmodi habentur innumera: uti capitis, aut oculorum, ictus, contuſiones, fracturae, tumores interni, morbi inflammatorii, ſuppuratorii, eryſipelatoſi, febriles, ſpaſmodici, catarrhoſi, ſoporoſi, doloroſi; plethora; cacochymia multiplex, humorum rarefactio, impetus, congeſtio ad encephalon; hujus inundatio ab effuſis, ſtagnantibus; retentio excernendorum, metaſtaſis materiae morboſae, variae; evacuationes nimiae; diſſipatio virium per inediam, vigilias, curas, ſtudia intenſiora, morbos vehementes; ventriculi, inteſtinorum, vaſorum viſcerumque hypochondriacorum, uteri, affectiones; irritationes ab aliis partibus ſurſum propagatae, etc. Unde permultos morbos praecedere, comitari, aut conſequi ſolet. Quum vero et intuitus rerum, quae circumaguntur, aut alias celeriter ante oculos moventur, et capitis corporisve univerſi in gyrum agitatio, et meticuloſus praecipitii proſpectus, inſuetis vertiginem inferant; credibile eſt, cauſas quoque internas haud diſpari ratione agere.

722. Quae imagines objectorum multiplicat, dividit, mutilat, aut aliis modis pervertit, alucinatio quamplurimis diversarum oculi partium vitiis, quae situm, motum, figuram, substantiam, depravant, debetur. Mala praesertim spasmodica, paralytica, musculos oculorum, retinam, nervos opticos, cerebrum, afficientia, id genus fallacias perquam mirabiles saepe producunt.

723. Facultas, qua oculum diversis objectorum distantiis aptamus, multimodis vitiatur, in *μυωπίᾳ*, *πρεσβυωπίᾳ*, *ὑπερπρεσβυτία*.

724. Myops oculus, ad objecta remotiora inhabilis, etiam nimis propinqua exigit, ut distincte videat. Excessu igitur laborat ejus virtutis, qua lucem admissam refringendo cogimus: ita enim fit, ut e longinquo venientes radii, pene paralleli, intra oculum justo citius in focos coëant, indeque rursus dispersi demum in retinam incidant. Causae sunt major oculi longitudo, cornea convexior, lens magis gibba, a retina remotior, mediorum, per quae radii intus decurrunt, major densitas. Myopia spuria, quam angustior pupilla, minor corneae humorumque pelluciditas, minor iridis

iridis ac retinae ſenſilitas, inducit, ad viſum hebetem (716.) potius referatur.

725. Πρεσβυωπία, vitium priori (624.) contrarium, ſenibus familiare, contrariis etiam conditionibus debetur: quo et lentis defectus referri poteſt.

726. Ὑπερπρεσβυτία, quae lentem adeo propinquam retinae ponit, ut cujuscunque diſtantiae objectorum radii poſt retinam ſuos projiciant focos, neque hinc vel propriora, vel remotiora, diſtincte cernantur, ſicubi detur, enormis dicatur viſus ſenilis (725.) gradus, imminuti viſus (716.) ſpeciebus annumerandus.

727. Mala nervorum ſpaſmodica, paralytica, quandoque et viſum ita figunt, ut ne vel minimum quidem aptae diſtantiae augmentum feratur, quin objectum plane diſpareat. Depravationis genus oppido rarum et ſingulare.

728. Concretio oculi cum vicinis partibus, preſſio a tumoribus, ſitus alienus; muſculorum ejus ſpaſmus, paralyſis, diſtractio, aliave impedimenta, diverſimode pervertere motum atque directionem in videndo poſſunt. Unde ῥινοπτία, viſus lateralis, ſublimis, humilis, adſpectus trux, torvitas, ſimiliaque mala.

729. Haec inter praecipue memorabilis ſtrabismus, quo affecti oculis diſtortis ac inaequaliter motis vident. Diſtorſio varia introrſum, extrorſum, ſurſum, deorſum, unius vel utriusque oculi, differentias conſtituit. Multiplex hujus vitii ſedes ac cauſa tribuitur viſus potentiae in utroque oculo haud ſatis aequali, in alterutro multum debiliori, aut et deficienti; muſculis ſpasmo, paralyſi, vulnere, contuſione, ulcere, preſſione, contractione, adhaeſione, laeſis, ut aequabiliter ambos dirigere oculos nequeant; adſuetudini oblique aut uno tantum oculo videndi; corneae, male conformatae, parte aliqua opacae; obliquo lentis ſitui; proceſſuum ciliarium inaequali actioni; diſcordi denique retinarum harmoniae.

Laeſiones ſenſuum internorum.

730. SENSUS externi quidem materiem ſubminiſtrant, in qua ſeſe exerceat virtus ſentiens: at praeſtantiſſimum, quod iſta functio habet, internis, quos dicunt, ſenſibus debetur. Tametſi vero praecipuam horum partem ipſa ad ſeſe mens vindicare videatur; haud negan-

dum tamen, organa corporis ſuam quoque ſymbolam eo conferre, horumque adeo diverſitati ex parte tribuendum eſſe differentem id genus ſenſuum uſum, qui in hominibus etiam ſanis animadvertitur. Quo circa et pronum eſt colligere, non minus hic, quam in ſenſibus externis, alienationes dari, quae cum ex corporis vitioſitate profluant, omnino ad forum medicum ſint referendae (36.).

731. Quae cum ſic ſatis certa ſint, abditiſſima tamen eſt, in qua hae mentis operationes perficiuntur, officina, nec vel probabili conjectura aſſequi datur organorum, quibus inſtructa eſt, numerum, ſitum, conformationem, vires, agendi modum, ſingulare cujusque penſum, cetera. Quo fit, ut, in tanta ſtatus ſani ignoratione, de natura ac ſede vitiorum, quae hic occurrunt, nihil admodum diſtincti pronunciare liceat. Tantiſper proinde in generali doctrina acquieſcendum, donec Phyſiologia tenebras diſpulerit.

Delirium.

732. DELIRARE dicitur, qui, cum vigilat, ſomnianti tamen ſimilis, ideas, ſibi ab

ab internis causis natas, ad res externas refert, percipitque adeo ac existimat praesentia esse, quae absunt: tum qui ideas undecunque ortas praepostere componit, disjungit, judicium ferens a communi sensu aberrans: et qui praeter rationem, vi morbi, alienos a suis mores induit, motibusque animi abstrahitur insolitis, effrenatioribus.

733. Delirium ergo ponit facultatem judicandi in vigilante perturbatam vitio organorum. Quamvis enim reliquarum sensationum exercitium pervertatur; nisi tamen erroneum quoque intervenerit judicium; vix pro delirio id haberi potest.

734. Unde perspicitur multiplex hujus symptomatis differentia variusque gradus; prout aut universale est aut particulare, fixum vel vagum, perpetuum aut interruptum, mite vel ferox, incipiens aut consummatum.

735. Difficillimum autem est, ob extremam hujus materiae obscuritatem (731.), aut partes affectas assignare, aut diversos laesionum modos, quibus singulae deliriorum species oriuntur. Ex comparatione eorum, quae in sano statu fiunt, istud saltem affirmari posse vide-

tur, quavis demum ratione turbari aequabiles illos, regulares, mentisque moderamini addictos, motus organorum sensoriorum, unde ordinatus pendet idearum ortus, consentanea disjunctio; combinatio, successio, atque attenta contemplatio, sine quibus sanum esse judicium nequit.

736. Sive igitur, quas causae internae excitant, ideae tam vividae sint, ut a foris profectae videantur, mentemque occupent abripiantque, nec aliis attendere sinant; sive legitimis ideis sese adjungant aliae incongruentes; seu denique affinium vel intermediarum idearum quaedam suppressae deficiant, nec produci queant: quidquid horum contigerit, manifestum est, fieri non posse, ut ne facultas judicandi primum, dein et voluntas, in errorem pertrahatur, ac porro huic etiam convenientes cum animi, tum corporis, motus nascantur, fallacia alia aliam trudente.

737. Ingens potentiarum numerus, quas observatio docuit, turbarum id genus creare, reducitur fere ad ea,

1. Quae tenorem medullae cerebri generisque nervosi infirmando virtutem sentientem labefactant. Cujusmodi sunt eva-

evacuationes nimiae, morbi graves, diu tolerati, mala hyſterica, hypochondriaca, apoplectica, cataleptica, epileptica, exercitationes mentis immodicae (522.), animi motus violenti, diuturni (532.), pervigilium (550. ad 552.), tum quae colluvie aquoſa (287.), mucoſa (283.), encephali ſtamina inundando flaccida, inertia (160. 1. 2.) reddunt.

2. Quae humorum circuitu intenſiore (409.), ſurſum directo (411.), ſanguinem in vaſis encephali accumulant, hinc diſtenſione, pulſatione, attritu, aeſtu, errore loci, proximam medullam praeter modum exagitant.

3. Quae ſiccitate, rigiditate, infarctu lento, indurante, fibras ſenſorias minus mobiles mutabilesque faciunt, ſtatus ſemel concepti nimis tenaces. Quo maxime confert atrabilaria humorum craſis, vitio quocunque rerum non naturalium, morbove, inducta (284. 320. 355.).

4. Quae irritando motus irregulares, injuſtos, effrenatos, in ſenſorio communi cient, ſive proxima in hoc ipſum actione, ſeu ex aliis partibus per conſenſionem eo propagata. *In primis quae in praecordiis ſita, haec irritando, inflammando, afficiunt. Quo maxime facit materies impura*

quaecunque, biliosa praesertim putrida, aut etiam praecordiorum inflammatio. Inde a bile phrenitis, atrocissima deliria alia, a biliosa praecordiorum inflammatione paraphrenitis, caet. Stimulorum vero, qui vim sentientem turbare queunt, par ratio est, atque irritamentorum virtutis vitalis, nec minor fere numerus ac diversitas. Unde ex dictis (171. et seq.) intelliguntur.

5. Impedimenta denique multifaria, quae partibus encephali vim inferendo, situm, nexum, fabricam earundem pervertendo, canales obstruendo, comprimendo, quassando, lacerando, humorum circuitum turbando, consentaneis medullae staminum motibus obstant, conformatio prava ab ortu contracta, commotio, contusio, fractura, vulnus, abscessus, ecchymosis, hydrocephalus, et similia, quae caput infestant, huc referuntur.

738. Est vero et seminiis hic locus, quae alium prae alio tum ad delirium, tum ad hujus species singulares, procliviorem reddunt. Temperamenta certe (614.), melancholicum praesertim aut cholericum, atque irritabilitas (190.616.), multum valent; tum et gentilitium quid sin-

ſingulare, quod haereditate propagatur, ex prioribus vix plane explicandum.

739. Phantaſiae alienationes, quae judicio corriguntur, leviores modo deſipientiae gradus ſunt, ſimilesque cauſas habent. Refractarium quoque et inflexibile, quod vi morbi aliquando in voluntate naſcitur, haud minus, quam indomitae animi commotiones (732.), huc pertinet.

740. Memoria vacillans, confuſa, extincta; puerilitas, fatuitas; mentis diſtractio; ἀναισθησία, ſenſuum carentia, ἀπάθεια, in qua ob vitium organorum quaecunque animi affectiones delentur; et quae id genus aliae ſunt noxae, ſuo quaevis modo laeſam ponunt officinam ſenſoriam, proprietate tamen laeſionis vix determinanda ultra, quam occaſiones aegrotandi, morbique praegreſſi, comites, aut pediſſequi, docere poſſint. Aetas, temperamentum, torpor vis vitalis (196.), vitioſitates organicae (737. 5.), ſolidorum laxitas, rigiditas, vaſculorum obſtructio, collapſus, concretio, humorum ſpiſſitudo, inertia aquoſa, inopia, abundantia, motus imminutus, mala nervorum paralytica, ſpaſmodica, mor-

 bique

bique ex his nati, universales, particulares, praecipue spectari merentur.

Motricis facultatis Symptomata.

741. FUNCTIONUM corporearum nulla est, quae non ad motum referri queat. Unde pro illarum multitudine et diversitate innumerabilis est motuum, qui in sanitate perficiuntur, varietas. Habet idcirco suum quoque animalis machina systema motorium, per omnes partes diffusum, suis instructum fibris, tum in musculos collectis, quae tanquam motus instrumenta, virtute motrice animantur. Ita duplex motuum genus cietur, alterum spontaneorum, alterum eorum, qui voluntate nostra reguntur. Haec vero, etsi diversis legibus adstricta sint, multumque ideo inter sese discrepare videantur, credibile tamen est, idem motus principium agnoscere, nec dissimili quoque apparatu organico absolvi. Iisdem certe vitiis obnoxia sunt. Communi igitur pertractatione utriusque symptomata proponemus.

Spaſmus.

742. SPASMORUM major etiam eſt, quam dolorum, in aegris frequentia: nec raro morbum univerſum, certe praecipuam hujus partem, conſtituunt, ipſique, ut ſuis ex cauſis profluunt, plurimorum viciſſim ſymptomatum cauſae fiunt. Tametſi itaque eorundem energia ultra, quam par eſt, a nonnullis forte extenditur; fatendum tamen, vix aliam dari corporis vivi affectionem, cujus aut crebriores incidant occaſiones, aut magis univerſalis ſit ſedes, aut major ad functiones omni modo turbandas potentia.

743. Spaſmus dicitur violenta, invita, inordinata, fibrarum motricium actio. Omnes adeo et ſingulae ſyſtematis motorii, qua late patet (741.), partes ei obnoxiae ſunt. Virtus vero motrix, quae in ſanitate fibras muſculosque animat, eadem et in ſpaſmo actionem edit, in qua illud modo praeter naturam eſt, quod juſto intenſior ſit, nec congruenter legibus oeconomiae fiat.

744. Quum igitur vis motrix fibrarum a principio vitali (170. 209. 5.) repetenda videatur; manifeſtum eſt, in eruendis ſpaſmorum cauſis ad irritamen-

ta (171.) potiſſimum attendendum eſſe, quae ſane perquam multiplicia numerantur. Acria mechanica, chemica, noti, ignoti generis; potentiae dolorificae (673.); immodica tum repletio, tum evacuatio; turbae ſyſtematis circulatorii; affectiones ſyſtematis nervei, univerſalis, particulares; irritamenta varia muſculorum, tendinum, membranarum. Multum praecipue hic valet mutua inter vires ſentiendi movendique conſenſio (179. 525. 537.), qua fit, ut immodicae cuivis ſenſationi, dolori (675.), anxietati (682.), quin et animi perturbationibus (532.), frequentiſſime ſpaſmi ſuperveniant; tanquam ſi horum ope avertere aut propulſare malum, de quo ſenſus monet (675. 691.), natura conetur.

745. Uti vero vis vitalis non in omni homine, nec in quavis hominis parte, eodem gradu ineſt (175. 176.); ita pro hujus differentia major minorve ad ſpasmos proclivitas naſcitur. Quocirca qui vitio irritabilitatis (190.) laborant, potentiſſimum hujus ſymptomatis ſeminium intus alunt (195.).

746. Effectuum, quos ſpaſmi producunt, ingens numerus ex dictis (195.

209.)

209.) intelligitur. Nec tamen adeo conſtanter nocent, ut non et ſaluberrima inter naturae auxilia ad avertendos ſanandosque morbos (297. 640. 641. 744.) merito haberi debeant.

747. Sponte etiam patet multiplices dari ſpaſmorum differentias; prout vel univerſales ſunt, vel particulares, idiopathici aut ſympathici; repentini vel lenti, coarctantes aut inflantes, qui flatulenti dicuntur, etc.

748. Qui ſpasmum a convulſione diſtinguunt, illum vocant continuam, hanc alternantem muſculorum contractionem, quam tamen alii malunt motum convulſivum appellare. Perinde fuerit, num eodem, an diverſis nominibus utare. Uterque certe affectus ad idem genus pertinet, partes easdem occupat, ſimilesque et cauſas, et differentias, agnoſcit; quin et haud raro alius in alium tranſit. Intelligitur adeo recentiorum diſtinctio inter morbos tonicos et clonicos.

749. Inquietudo etiam utcunque huc referri poteſt: quamvis enim haud plane praeter voluntatem iſta memborum agitatio fiat, plerumque tamen nec ſuſpendi pro arbitrio poteſt, cum ex morbo

bo naſcitur. Anxietas, dolor, pruritus, aeſtus, delirium fere in cauſa eſſe ſolent.

750. Horror, horripilatio, hujusque vehementior gradus, rigor, concuſſionis ſpaſmodicae naturam clarius prae ſe ferunt. Accidunt febribus, ſuppurationi, ſphacelo; gravibus nervorum affectionibus; ſubitis, immodicis evacuationibus; his male ſuppreſſis; laborioſis ad expellendum moliminibus, maxime ubi natura crudo, acri, corrupto, heterogeneo, virulento, intus haerente angitur. Quum vero et animo ideis injucundis commoto, et repentino corporis aeſtuantis refrigerio, naſcantur, ſenſumque frigoris intercutanei ac pallorem externum habeant comitem; credibile eſt, ſpaſmos ſubeſſe cutaneos, qui vaſculis conſtrictis, repulſis intro homoribus, inaequabilem et circuitum et calorem nativum efficiant.

751. Eſt et, ubi muſculi, recte quidem ad voluntatis nutum in actum concitati, injuſſa dein agilitate atque impetu non reprimendo motus ſuos accelerant, mentemque invitam praecurrunt. Vitium, loquelae muſculis frequens, nec his ſolis tamen proprium: vidi enim, qui currere, non gradi, poterat. Habet iſta volu-

volubilitas aliquid ſpasmodici, hujusque adeo loci eſt. An etiam in ſpontaneis motibus obtinet? Credas, quum ingeſta, celerrimo per inteſtinorum volumina trajectu, ano exturbantur, motum periſtalticum ita affligi.

Paralyſis.

752. PARALYSIS, Pareſis, reſolutio, extinctam ponit facultatem motricem, flaccidam adeo fibrarum motricium inertiam, partiumque inde, quas movere debent, immobilitatem. Affectio ſpasmo (743.) oppoſita, aeque tamen late patens, ſingula quaeque motus inſtrumenta (741.), muſculos, fibras, cum ſponte, tum ad arbitrium agentes, infeſtat. Exquiſita dicitur, ſi ſenſus una cum motu deëſt; ſin ſupereſt, imperfecta; ἀτονία, ſi fibras viſcerum vaſorumque enervat.

753. Debetur multiplici vitio 1. Cerebri, cerebelli, medullae oblongatae, ſpinalis, nervorumque inde porrectorum in truncis, gangliis, ramulis ſuis, quo fit, ut vis nervea torpeat, deficiat, aut ſublato iſtarum partium cum fibris motricibus commercio intercipiatur: 2. Syſtematis circulationis, quo influxus humorum

rum vitalium in organa motus imminuitur, ſufflaminatur: 3. Villorum denique muſcularium labi propriae, diſtractione, preſſione, diuturna quiete, intenſiore actione, relaxatione, ſiccatione, texturae alienatione, inductae, qua ad motum inhabiles redduntur. Horum ſingula ſeorſim, aut plura ſimul, ſive ipſam exſtinguant virtutem motricem (741.), ſive conditiones ſaltem tollant, ſine quibus illa in motus conſentaneos excitari nequeat; utroque modo paralyſin fieri neceſſe eſt.

754. Quocirca haud difficile eſt iſtam motus impotentiam ab aliis morboſae immobilitatis ſpeciebus diſtinguere. Liquet etiam ſedem ejus valde diverſam eſſe, proque hujus diverſitate paralyſin dividi in univerſalem et particularem, idiopathicam et ſympathicam. Nec obſcura eſt ratio innumerarum noxarum, quae ex defectu motus in omne genus functionum promanant.

755. Levior paralyſis gradus eſt debilitas virtutis motricis, qua fit, ut motus muſculares non niſi aegre ac languide exerceri queant. Haec etſi ad animales motus potiſſimum referatur, haud minus tamen vitales quoque et naturales afficit, easdem-

easdemque tum differentias, tum caussas, ac paralysis (753. 754.), agnoscit. Humorum inopia, copia nimia, crasis vitiata, circulationis torpor, vis nervea oppressa, exhausta, solida effoeta, hic maxime spectanda.

756. Hinc intelligitur, quae toties morbos praenunciat, lassitudo spontanea, hujusque species veteribus memoratae, tensiva, ulcerosa, inflammatoria.

757. Tremor quoque, qui, cum movere artus conamur, accidit, ad imbecillitatem facultatis motricis (755.) pertinet. Palpitatio autem, qua quiescentes etiam partes concutiuntur, vitiis spasmodicis (743.) annumeranda.

Somni affectiones.

758. PERVIGILIUM, ἀγρυπνία, cum morbi symptoma est, non minus aegris, quam ultronea pervigilatio sanis (550. ad 552.), nocet. Nascitur autem, quoties ex turbis interioribus tanta fit emporii animalis agitatio, ut nec relaxari organa sensuum motuumque voluntariorum possint, nec vis nervea feriari, neque adeo mens a mutuo cum corpore commercio sese subtrahere. Dolor proinde

(670.)

(670.), pruritus (679.), anxietas (682.), delirium (732.), febris, inflammatio, ſuppuratio, circulatio intenſior, raptus humorum verſus ſuperiora, aeſtus ingens, morbique hinc, in quibus iſtorum aliqua inſunt, praecipue ſicubi et irritabilitas (190.) acceſſerit, vigilias inferunt.

759. Immodicae dormitionis in morbis multifariae occurrunt ſpecies, duratione, gradu, aliorum ſymptomatum comitatu, hinc nominibus etiam, inter ſe diſcrepantes. Cauſae generatim reduci queunt 1. ad languentes ſentiendi movendique vires: quo faciunt animi corporisve ex quacunque cauſa defatigatio; evacuatio enormis; ſolidorum debilitas (157.); torpor (196.); circulationis tarditas (410.); humores prae abundantia aquae (287.), glutinis (283. 373.), craſſamenti (284.), pinguedinis (394.), vappidi, effoeti; frigus intenſum (427.5.), etc. 2. ad easdem vires oppreſſas, hinc agere impeditas, ob plethoram multiplicem (387. ad 392.), obeſitatem (394.), nimium ſanguinis ad caput impetum (411.), reditum haud ſatis expeditum, vaſorum encephali infarctum, inflammationem, eryſipelas, evacuationes ſuppreſſas, metaſtaſes materiae morbo-

bosae ad superiora. An et hujus loci est, quem spiritus fermentati (467.) inducunt usus que narcoticorum, sopor? 3. ad ea, quae liberum emporii animalis cum organis sensuum motuumque voluntariorum commercium suspendunt: cujusmodi innumera habentur, commotione, compressione, inundatione, destructione encephali nocentia; uti sunt vehemens capitis percussio, cranii depressio, fractura, exostosis, abscessus, tumores varii intus nati, cerebro imminentes, humores effusi, restagnantes, hydrocephalus; quin et, quae vires opprimendo agunt, modo num. 2. memorata. 4. Forsan et mens, mutui pertaesa influxus, officinae suae motus quandoque supprimit, et in se ipsam veluti contracta, animalibus organis relaxatis, lubens ab opere feriatur. Somnos Endymioneos, diuturni moeroris utplurimum pedissequos, hac fere origine natos dixeris.

760. Prout igitur horum (759.) singula seorsim, aut plura simul, varioque gradu, in homine insunt; ita vel somnolentiam tantum, vel leves gravioresve somnos inferunt; modo actione sua systematis animalis limites haud excedant, nec adeo vitam una opprimant.

761. Κῶμα ἄγρυπνον, luctans somni ac vigiliarum alternatio, quae nec dormire, nec recte vigilare sinit, hinc intelligitur: ponit enim causas somni (759.) urgentes quidem, at pleno effectu agere impeditas ob pervigilii causas (758.) mox succedentes. Nascitur ergo in morbis, ubi dolor, anxietas, delirium, insomnia terrifica, aut quaevis alia sensorii communis agitatio intensior, insuperabili in somnum propensioni superveniunt.

762. Nec multum dissimilis est somni et vigiliarum permixtio, cui somnia, pavores in somno, somnambulatio, debentur. Etenim oriuntur haec, cum causae vigiliarum (758.) in dormientibus subnascentes somni statum haud plane quidem tollunt, sed plus, minus, tamen interturbant; ut ideo partem aliquam officinae sensuum internorum inquies habeat, quae et in systema motuum voluntariorum sese nonnunquam effundat. Qui igitur considerat mechanicum illud, quo exoriri ideae, resuscitari, aliaeque aliis sociari, in vigilantibus solent, ei haud difficile est eruere, quam multiplices in aegris enasci queant somniandi occasiones; quando vel sanis etiam adeo frequentes accidunt: quin et perspicere possi-

poſſibilium ſomniorum numerum varietatemque et confuſionem infinitam; etſi mutationis corporeae, quae illorum cuivis reſpondet, ſingularem naturam ſedemve propriam ne conjectando quidem determinare liceat.

Symptomata motuum vitalium.

763. COMMUNE veluti centrum, in quod vitales motus tendunt conſpirantque, humorum circuitus eſt, princeps oeconomiae animalis functio. Quocirca et, quae motibus illis accidunt, vitia, in ſyſtemate circulatorio hujusque primariis inſtrumentis, ſuis ſeſe effectibus potiſſimum manifeſtant, et proinde ad laeſas cordis, arteriarum, pulmonumque actiones referri poſſunt.

Reſpirationis Symptomata.

764. MENTIS imperio quidem paret reſpiratio, ut varia, quae voluntate regantur, obire munia queat: nihilominus tamen et actionibus vitalibus recte annumeratur; quum et ſpontanea ſit, et vitae conſervandae abſolute neceſſaria. Plurimarum itaque ejus vitioſitatum

 prae-

praecipuae hoc loco exponi merentur; ut quae frequentes admodum ſint, atque ob praeſtantiam ſignorum, quae in morbis praebent, intellectu utiliſſimae.

765. Pro multitudine conditionum, quae ad liberam reſpirationem requiruntur, noxae, quibus impeditur, perquam numeroſae ſunt, naturaque ac ſede valde differentes: Aëre calore (424. 9.), frigore (427. 5. 8.), humiditate (430. 4. 5.), gravitate (434.), levitate (435. 437.), ſtagnatione (438. 439.), inquinamentis (440. 442. 496. 497.) peccans; narium, oris, faucium, laryngis, tracheae, bronchiorum, partium, quas aër permeare debet, morbi anguſtiae (209.) multifarii, obſtructio, obſtipatio, compreſſio, ſpaſmus, coalitus; pulmones ipſi inflammatione, eryſipelate, puſtulis, vomica, ulcere, tuberculis, ſanguine congeſto, pituita, ſero, materie terrea, polypoſa, podagrica, rheumatica, atrabilaria, aut quavis alia morboſa, in apparatu ſuo vaſculoſo, aut parenchymate, obſeſſi, impervii; aër, ſanguis, ſerum, pus, tumores varii, cavitatem thoracis occupantes, ut pulmo libere explicari nequeat; mala item conformatio thoracis, vertebrarum, coſtarum, luxatio, fractura, ancyloſis; tum

et

et musculorum respirationi inservientium debilitas, paralysis, spasmus, aut prae dolore, inflammatione, ecchymomate, emphysemate, vulnere, contusione, impedita actio; musculorum quoque abdominalium vitia similia; obstacula denique ex abdomine nascentia, diaphragmatis motum supprimunt, illudve sursum urgent, ascites, tympanites, ventriculus, intestina, cibo, potu, flatu, scybalis etc. ultra modum distenta, uterus et, quae ad eum pertinent, partes, foetu, aëre, sero, aut quavis materie aliena, turgentes, tumores viscerum inflammatorii, purulenti, scirrhosi, cancrosi, steatomatosi etc. Unde liquet, vix aliud symptoma dari, quod tot et tam diversi generis affectionibus sese socium adjungat.

766. In tanta vero causarum varietate haud mirum est, plures etiam difficilis spiritus species gradusque animadverti: uti sunt δυσπνόια, ἄσθμα, ὀρθοπνόια, respiratio, anhelosa, strepens, stertens, sublimis, strangulatio, etc. Quarum quidem ratio atque origo ex dictis (765.) facile eruitur; maxime si quis perpendat, ex impedita actione, vitae tam necessaria, anxietatem (687.) nasci, quae natu-

ram urgeat, ut quovis virium ſuarum adiumento utatur, intenſisque adeo ac multiplicatis motibus vitae periclitanti ſuccurrat.

767. Ἀπνοία, ſuffocatio, reſpiratio vere vel quaſi abolita, cauſis naſcitur iisdem (765.), ſed vehementia aut duratione majoribus. Inde aut increſcentem dyſpoeam ſerius, ocyus, ſequitur; aut ſubito invadens, nomine catarrhi ſuffocantis, mortem minatur vel infert. Comitatur alias circuitus vitalis defectionem, hinc gravioribus animi deliquiis, ut ſymptoma ſymptomatis, ſupervenit: alias primario ſuis ex cauſis oritur, tumque, ob interceptum ſanguinis per pulmones trajectum, inhibita circulatione, vitam una ſupprimit. Immania aëris vitia, ſumma nervorum mala, paralytica, ſpaſmodica, in organis reſpiratoriis, ſubita pulmonum oppletio a ſanguine, pure, colluvie catarrhoſa, eo praeprimis faciunt.

768. Tuſſis, depravatae reſpirationis ſymptoma, eſt violenta, convulſiva, reciproca, ſonora, aëris inſpirati per os eliſio. Ponit ergo motus convulſivos muſculorum, qui exſpirationem faciunt, ſimulque glottidem utcunque contra-

ctam;

ctam; quibus fit, ut aër pulmonicus cum impetu et sono de larynge elidatur, neque plenae inspirationi locus detur. Recte autem motus medicatus (640.) censetur, quo natura, quod systemati pulmonum aërifero, seu mole, seu acritate, incommodat, vehementi spiritus excussione everrere conatur. Hinc et voluntate cieri potest.

769. Irritamenta adeo tussis sunt, quaecunque pulmoni, bronchiis, asperae arteriae, laryngi, molestiam creant actione quavis mechanica, physica, chemica: aër vitiosus; ingesta calore, frigore, acritudine, asperitate, nocentia; aliena in laryngem recepta (604.); materiae acris in eum aut vicinas fauces destillatio; muci has partes lubricantis abundantia, crassities, corruptio; sanguis, serum, pus, ichor, hic collecta; siccitas, inflammatio, erysipelas, aphthae, exanthemata, exulceratio, tum pleraque vitia organorum spiritalium, supra (765.) enumerata, quae, etsi nihil, quod screatu ejici possit, habent, sola, quam inferunt, spirandi difficultate naturam ad tussiendum solicitant: quo si obstaculum vincere nequeat, moliatur tamen, saltem trajectum sanguinis expediat. Procliviores autem

ſunt, quibus interior fiſtulae pulmonalis membrana ob muci defectum, ſiccitatem, tenſionem, aliasve cauſas, juſto ſenſilior eſt et irritabilior.

770. Conſenſione etiam tuſſis oritur, cum partium aliarum labes aut ſtimulo, aut translata materie morboſa, ſyſtema reſpirationis afficit. Unde frequens eſt in variis primarum viarum, ventriculi inprimis, hepatis, ſplenis, pancreatis, teſtium, parotidum, dentium, aurium, cerebri, nervorum, cutis, etc. affectibus.

771. Quocirca liquet, quaenam tuſſis dicatur humida, ſicca, convulſiva, idiopathica, ſympathica, ferina, catarrhalis, ſtomachica, etc. Nec latet origo innumerarum noxarum, quas vehementior, aut diutius protracta, inducit: etenim validis crebrisque pulmonum, viſcerum abdominalium, ac univerſi corporis, concuſſibus, interrupta inſpiratione, commoto ſanguine, impedito ejusdem per pulmones tranſitu aequabili, muſculis reſpiratoriis perpetuo irritatis, inordinate agitatis, oportet naſci defatigationem, coctionem alimenti vitiatam, vomitum, hernias, abortum, congeſtionem humorum in capite, vaſculorum pulmonalium debilitatem, ſanguinis eruptiones, convul-

vulſiones univerſales, ſuffocationem, et quae ex his ſequuntur, mala infinita.

772. Sternutatio quoque huc referenda eſt, haud abſimilis convulſivi motus ſpecies, qua aërem, magna prius copia inſpiratum, unico exſpirationis fortiſſimae, ſonorae, impetu, per narium orisque meatus expellit. Spiritus ita, vehementer illiſus membranae has cavitates ſuccingenti, ſuperficiem hujus verrit, abſterget, expreſſo humore irrigat, proluitque, ut, quae moleſta ſunt, amoveantur, expurgentur. Salutaris igitur conatus irritamentis narium, faucium, oculorum, ſupervenit, multisque adeo iſtarum partium morbis. Naſcitur et, ſpasmorum more (744.), ex cauſis magis univerſalibus, aut quarum a naribus remotior ſedes eſt, praeſertim in hominibus irritabilioris naturae (190. 745.). Nec ubique tamen utilis, cum amoliri ſtimulum nequit, inani concuſſu fatigans, haud minus, quam tuſſis (771.), vehementer nocet.

773. Riſus quum convulſio ſit musculorum reſpiratoriorum, quae ſpiritum cohibitum citiſſimis, minimis, reciprocis concuſſibus, veluti tremulis, in ſyſtemate aërifero agitat, partitaque adeo

exſpitatione etiam inſpirationem plenam ſuſpendit, inter ſymptomata aeque, ac inter potentias nocentes (521.), locum meretur. Accidit enim et invita mente, ex ſtimulis corporeis, qui diaphragma, et cum hoc conſpirantes abdominis muſculos, ceteraque reſpirationis organa, et muſculos faciei, proxime vel per conſenſum, commovent. Unde primario quidem diaphragmatis, tum et ventriculi, ſplenis, uteri, affectiones, et qui ſenſorium commune turbant, febriles aliosque motus quandoque comitatur, hypochondriacis, hyſtericis, maniacis, phreniticis etc. familiare malum. Intelligitur hinc affinis riſui fletus morboſus, cujus frequens eſt cum illo commutatio.

774. Suſpirium, adjumento muſculorum voluntariorum, profundiſſime ad imum usque pectus pertrahit ſpiritum, ſolitoque fortius rurſum expellit. Ita magno longoque reſpirationis tractu natura vitale aëris beneficium adauget, aeſtui ſuffocanti refrigerium, circuitui pulmonali incitamentum, ſpirandi difficultati remedium, anxietati lavamen quaerit. Cauſae hinc ſunt, quaecunque angorem inducunt (682. ad 691.).

775. Oſcitatio ſat ſimilis eſt ſuſpirio (774.) inſpiratio, vehementior tamen, et intenſiore gradu plerumque iterata, nec niſi per patentiſſimum oris meatum aëra trahens, junctamque ideo habet violentam illorum muſculorum contractionem, qui maxillas, rictum oris, labia, diducendo, iſthmum faucium glottidemque dilatando, ampliſſimum ſimul proximumque externo aëri introitum parare queant. Auxiliare igitur ſymptoma (98. 101.), ſolius naturae actio, ſuſpirio etiam beneficentior, uti torpentibus, ceterum ſanis, ſalutari fine accidit, ita aegris quoque, quorum vires ob nervei ſyſtematis vitia, aut inertiam circuitus vitalis, elangueſcunt; frequens propterea in febrium inſultibus, affectionibus, hyſtericis, hypochondriacis, ſoporoſis, chronicis.

776. Comes huic (775.) ſaepiſſime Pandiculatio, quae ſpiritu diutiſſime cohibito, nixuque per totum ſyſtema muſculorum voluntariorum diffuſo, artus corporis omnes vehementer diſtendit, ejusdem generis eſt, torporis non ſequela modo, ſed naturale etiam remedium.

Sym-

Symptomata motus Cordis.

777. PALPITATIO cordis ponit convulſivas ejus contractiones, quae vehementi ad partes vicinas illiſu naturalem longe ſuperant. Spasmodicae igitur affectionis naturam habet, et ex (743. et ſeqq.) intelligitur. In ſummo autem vis vitalis, quae cordi prae ceteris indita eſt, gradu (175.) occaſiones hujus vitii quam plurimae ſunt. Magnae nervoſi generis turbae in hyſtericis, hypochondriacis, irritabilibus; turbae item in ſyſtemate circulationis, ſive primario, ſeu ex prioribus, aut aliunde natae, ad cor usque deductae; fortiora quaelibet cordis irritamenta, aut et impedimenta, quae legitimae ſanguinis admiſſioni vel expulſioni magnopere reſiſtunt. Naſcitur ideo ex violentis animi pathematibus, ſubito terrore, venere immodica, nimia corporis mentisve exercitatione, ſpaſmis aliarum partium, doloribus, anxietate, motibus febrilibus, humorum abundantia, inopia, lentore, acritate varia, materie ſcorbutica, atrabilaria, arthritica, ſcabioſa, ulceroſa, cancroſa, virulenta, ſuppreſſis quibuscunque excretionibus; tum et a multiplici reſpirationis difficultate

tate (765.), qua ſanguis aegre per pulmones trajicitur; a varia quoque labe viſcerum abdominalium, ventriculi praeprimis, crudis, acribus, corruptis, aëre, vermibus, heterogeneis, obſtructione, inflammatione, ulcere, compreſſione, diſtenſione, irritatione, male habentium; denique et ab ipſo corde, auriculis, vaſis ejus majoribus, pericardio, inflammatione, ulcere, aneurismate, polypo, vermibus, pilis, calculo, hydrope, ecchymoſi, excreſcentia, texturae degeneratione oſſea, cartilaginea, anguſtatione quavis, praeter naturam affectis. Liquet autem facile, pleraque iſtorum etiam pluribus modis eo conferre, atque alia aliis frequenter ſeſe adjungere, neque pauca eſſe, quae, ſuo quidem jure inter cauſas hujus ſymptomatis relata, saepiuscule tamen ejusdem potius ſequelae ſint, ſuaque dein acceſſione in cauſas veluti poſt natas mutentur. Denique et ſcire juvat, malum, per intervalla recurrens, iis potiſſimum ingraveſcere, quae impetu majore ſanguinem verſus cor adigunt.

778. Cordis tremor, ſive levior fuerit palpitationis gradus, ſeu virium imbecillitati debeatur, ex ante dictis (757. 777.)

777.) cognoſcitur. Reliquae porro motionum cordis anomaliae quum ſeſe magis in pulſu arteriarum manifeſtent, aptius ad iſtum titulum relegantur.

Symptomata Pulſus Arteriarum.

779. PULSUS oritur, ſicubi ſanguis, vi cordis in arterias actus, harum parietes extrorſum urget, diſtendit. Ut vero appoſite ad ſanitatis leges fiat, requiritur cor efficax, legitima ſanguinis copia et fluor, arteria contractilis, expanſilis, via circulationis libera. In horum igitur vitioſitatibus quaerenda erit ratio alienationum, quae pulſui in aegris accidunt. Hae tamen cum valde multiplices ſint, et ſubtilius etiam, quam utilius, a Veteribus interſtinctae, omiſſis, quae exigui ſunt momenti, aut intellectu faciles, praecipuas modo exponemus.

780. Crebrior pulſus, pro aetate, ſexu, temperie, varioque rerum non naturalium uſu aeſtimandus, ſi in univerſum obtinet, frequentiorem ponit cordis contractionem, hujusque adeo cauſis debetur. Huc referantur quaecunque cordis irritamenta; ſive ejusmodi fuerint, quae venoſi ſanguinis affluxum auge-

augeant; ſeu quae acritate ſtimulent; aut quovis modo cordis actioni obnitantur. Quae quidem omnia tanto valentiora ſunt, ubi cor ipſum quoque praeter modum irritabile eſt. Magna inſuper ejusdem cum toto corpore conſenſio facit, ut turbulentae etiam aliarum partium, in genere potiſſimum nervoſo, agitationes facile eo deferantur. Hinc pleraque, quibus cor ad palpitandum cietur (777.), hic pariter locum habent, innumerosque ideo morbos, maxime tamen omne febrium genus, comitatur pulſus frequentia, ſaepe ſalutaris, activis certe ſymptomatibus (101.) annumeranda. An autem et topica datur in ſingulari ſyſtematis arterioſi parte? Dabitur, ſi vera febris particularis; neque tum a corde incitato tantum repetenda. Rarioris pulſus natura ex his facile perſpicitur.

781. Arteria, ictu majore, quam dilatatione, micans, durum pulſare dicitur. Id fit, cum ſanguis valida quidem et citatiore cordis contractione impingitur, nec pro ratione tamen expandere canalem poteſt. Subeſt itaque aut vitium in tunicis arteriae, ob ſiccitatem, rigiditatem, ſpaſmum, minus obſequioſis; aut mor-

morbus cavitatis ultra modum diſtentae a ſanguine copioſo, rarefacto, ſpiſſo, vel ob impeditum transfluxum accumulato. Unde liquet, cur pulſus durus adeo frequens in morbis inflammatoriis? Nec latet ratio pulſus mollis.

782. Pulſus intermittit vitio multiplice, graviore, leviore, univerſali, particulari. Etenim cordis contractio, in modum ſpaſmi (748.), diutius continuata; ejusdem torpor (196. 755.), aut contractio inefficax, minore tum vi, tum copia, ſanguinem in arterias projiciens; influxus ſanguinis venoſi in cor parcior, inordinatus vel nullus; arterioſi fluxus inaequalis, impeditior, interruptus; arteriarum varia labes, receptioni, trajectui ſanguinis, motui tunicarum ſyſtolico et diaſtolico, reſiſtens, huc faciunt. His autem producendis innumera apta ſunt: cordis partiumque eo pertinentium affectiones topicae, inflammatio, aneuriſma, polypus, calculus, vermes, concretio, induratio, hydrops, etc. (777.); arteriarum ſimilia vitia; magna reſpirationis impedimenta (765.); ſanguinis abundantia, inopia, cacochymia viſcida, acris varia; primarum viarum turbae in vomitu, cholera, alvi profluviis,

ver-

vermibus, ſpaſmis, doloribus, etc.; denique et nervoſi generis mala in viſcera vitalia ac ſyſtema circulationis diffuſa, virtute vitali aut torpente (196.), aut nimis irritabili (190.).

783. Imminuti et deleti pulſus varii memorantur gradus, pro conſecutionum, quas infert, numero ac intenſitate diverſis. Ἔκλειψις dicitur defectus levior, pallorem inducens, calore tamen, ſenſu motuque ſuperſtite. Λειποθυμία, cum pallori et motus animalis impotentia accedit. Λειποψυχία prioribus auctis etiam ſuperaddit caloris nativi extinctionem. Συγκοπὴ, una cum motu ſenſuque fere abolitis, frigus univerſale, ſudoremque frigidum inducit. Ἀσφυξία denique, deletis omnibus vitae indiciis, accedente etiam ἀπνόια (767.), mortis imaginem ita refert, ut merito nonnunquam dubitetur, vitamne an mortem praedicare fas ſit. Quum vero univerſalis, qui comitatur, virium lapſus doceat, vitalem ſanguinis circuitum pariter cum pulſu deficere; liquet haec vitia cordis deliquio deberi, iisque adeo cauſis naſci, quae hoc inducere valeant. Hujusmodi ſunt vehementes animi affectus, idea rei horridae, odor infeſtus, in hy-

ſtericis, hypochondriacis, gravidis, puerperis, inedia, pervigilio, labore, morbo gravi, exhauſtis, irritabilibus: aëris inſalubritas varia, miaſmata, venena, medicamenta draſtica, vermes, alimenta pravi ſucci, cacochymia putrida, ſcorbutica, atrabilaria, etc. materies morboſa partes vitales, nervos, graviter afficiens; inde et ſaevus dolor, anxietas, aeſtus ingens, ſpaſmi; tum magna, ſubita, inanitio, nimia liquidi vitalis a corde et encephalo derivatio, parciorve aut interceptus ad has partes affluxus, per eas transfluxus; adeoque encephali, cordis, pulmonum, multifariae affectiones, memoratis (782.) ſimiles. His quippe potentiis aut ſanguinis venoſi in cordis cava influxus ſuſpenditur, aut ipſa cordis virtus muſcularis enervatur. Utraque autem noxa cor quieſcere, hinc circulationem deficere oportet. Nec dispar ratio eſſe videtur animi defectuum, quos pro arbitrio ſibimet conſciſcere qui poſſint, memorantur; tametſi, quanam voluntatis contentione id aſſequantur, non liquet.

784. Quodſi arteria ſingularis pulſare deſierit, mali minus periculoſi ratio ex (779. 782. 783.) facile invenitur: uti et cete-

ceterarum pulſus alienationum, quae vel in ſingulis ſeorſim, vel in plurium conſequentium ſerie, reapſe obſervantur; quales ſunt magnus, parvus, validus, debilis, varia ratione inaequalis, undoſus, vermicularis, formicans, ſerratus, dicrotus, caprizans, vacillans, myurus, intercidens, etc. Generatim quidem notari meretur, vix aliam dari potentiam, quae in perturbando pulſu plus valeat, quam ſpaſmos (742.), magnamque ideo partem id genus vitioſitatum ab his repetendam eſſe. Specialior tamen hujus materiae expoſitio, cum ad Semioticam pathologicam (16. II.) pertineat, noſtri non eſt inſtituti.

Symptomata actionum naturalium.

785. SYSTEMA naturale, humani corporis conſervationi dicatum, etſi vitali animalique minus nobile habeatur, utilitate tamen et neceſſitudine haud inferius eſt; quando vix aut perparum eſt, quod non durabile eſt. Multitudine autem ac diverſitate cum organorum, tum effectuum, quos edit, etiam ſociis ſuis ferme antecellit. Ingens ergo numerus

laesionum, quae hic fieri possunt, ordinatam exigit pertractationem.

Appetituum naturalium laesiones.

786. Ut nutrimenti materies, cum opus est, a foris intromittatur, suos quoque ista officina nacta est sensus (669.), qui de penuria moneant hominem, compellantque ad victum procurandum. Inde fames et sitis naturalis, haec potum, illa cibum, materiem firmis perinde, atque humoribus, necessariam, desiderans. Utrisque suus est in sanitate modus, sua in aegrotis vitia.

787. Edendi cupiditas, valde diversa in sanis, multifariam quoque per morbos laborat. Augetur enim praeter modum in bulimo, fame canina, lupina: imminuitur, aut plane aboletur in *δυσορεξίᾳ*, *ἀνορεξίᾳ*, *ἀποσιτίᾳ*: depravatur in *κίττᾳ*, pica, malacia.

788. Fames aucta vel vacuitati debetur, quae repletionem, vel acriori stimulo, qui mitigationem ab ingesto alimento exspectat. Quamobrem esuries, motu animali, immodica perspiratione, sudore, alvi profluvio, aliis excretionibus, lactatione, morbis, exhaustos, vermibus

bus obnoxios, aut quibus acre acidum, ſalinum, bilioſum, atrabilarium, in ventriculo eſt, vexat; accedente praeſertim animi impotentia, imaginatione mobili, ſenſibilitate nimia, irritabilitate, in junioribus, feminis, hyſtericis, hypochondriacis, epilepticis. Bulimus dicitur, cum eſuriem non ſatiatam animi deliquium ſequitur: fames canina, ubi voracius ingeſta cito revomuntur: ſi vero celeriter ano rurſus expelluntur, nonnulli lupinam vocant.

789. Appetitus vario gradu proſternitur vitio ventriculi, pituita, ſaburra, terreis, alienis, corruptis, onerati, inflammati, ulceroſi, ſcirrhoſi, calloſi, aphthoſi, atonia (752.), motibus inordinatis (743.), vel ob propriam affectionem, vel per conſenſionem, laborantis; menſtruorum item primae digeſtionis, ſalivae, bilis, defectu, inertia aquoſa, mucoſa, degeneratione varia; labe quoque corporis nimio plus repleti humoribus bonis, pravis, ob vitam deſidem, ſomnolentam, circuitum languentem, evacuationes ſuppreſſas; turbis nervei ſyſtematis patheticis, ſpaſmodicis, delirioſis, doloroſis, ſoporoſis, etc. ſenſum naturalem obtundentibus; natura denique

 gra-

graviore malo, acuto, chronico, impedita, oppreſſa, exhauſta, ut curam ſuſcipiendae coctionis abjiciat. Prout igitur innumerorum morborum comes hoc ſymptoma eſt; ita liquet alias propter coctionis impedimenta naſci, alias ex eo, quod corpus non indigeat alimento, alias ob ſuppreſſam ſtimuli naturalis perceptionem: quae quidem rite perpenſa oſtendunt, ab inedia, anorexiae pediſſequa, non continuo tot tantasque noxas aegris perinde, ac ſanis famelicis (452. 453.), timendas eſſe.

790. Faſtidium cibi, ἀποσιτία, easdem (789.), ſed graviores, agnoſcit cauſas. Putror, rancor, ventriculum inquinans; hujus nimia ſenſilitas, irritabilitas, imbecillitas, dolori, anxietati, ſpaſmo, nauſeae, vomitioni, ab ingeſtis obnoxia; tum et phantaſiae errores, hic maxime ſpectentur. Cibi ſingularis averſatio, ex morbo nata, plerumque naturae vox (643.) eſt, cui obtemperandum.

791. Malaciae, quae cum faſtidio aliorum ciborum junctam ponit appetentiam vix ſuperabilem ac voracitatem ad certum edulii genus determinatam; et Picae, quae abſurda quoque, inuſitata, nec eſui apta, quin horribilia, concupiſcit

piſcit ac avide devorat, haud abſimile eſt ingenium. Tametſi enim et vitium imaginationis ſubeſſe poſſit; ſaepiſſime tamen, quae appetuntur, pro remedio ſunt, quo aut corrigatur, quod intus eſt noxium, aut turbis ex intemperantia concitatis ejiciatur, aut ſucci alibilis inopia plus ſatis oneroſae humorum copiae, ne vero alimento magis augeſcat, occurratur.

792. Sitis, quam indicandae potus neceſſitati praefecit natura, in morbis ſolito plus urget, quoties aut tractus ſuperior primarum viarum, iſtius ſenſationis ſedes, aut cum hoc etiam corpus reliquum, humectatione indiget, qua vel deficiens humor ſuppleatur, vel ſpiſſior diluatur, vel acrior temperetur, hinc firmis partibus mollitudo, canalibus meabilitas, transfluxuris libertas reſtituatur. Inde immodica humorum diſſipatio, evacuatio, ſpiſſitudo, lymphae extra vias circulationis derivatio, collectio, minimorum vaſculorum obſtructio, ſpasmodica conſtrictio, compreſſio, acritas muriatica, ammoniacalis, alcalina, ſpirituoſa, aromatica, putrida, bilioſa, rancida, aduſta, virulenta, in febribus, alvi profluviis, diabete etc. morbis inflam-

matoriis, purulentis, putridis, bilioſis, catarrhoſis, exanthematicis, ſpaſmodicis, venenatis, hydrope, ſcorbuto, rhachitide, multisque aliis, ſitim creant; quae tamen utrum ad ſuum modo ſenſorium, an vero ad univerſum corpus pertineat, probe diſtinguendum.

793. Carentia igitur ſitis in morbis, natura ſua ſiticuloſis, etiam morboſa eſt, ponitque ſitis officinam (792.) tuſſi, aut ptyalismo, jugiter humectari, aut reſolutis nervis ſenſu privari, aut mentem alienatam eſſe.

Actiones laeſae primarum viarum.

794. MANDUCATIONIS uti plurima ſunt cum inſtrumenta, tum potentiae ac conditiones, ſine quibus recte perfici nequit; ita multis diverſisque multarum partium vitiis diverſimode laeditur. Hujus generis ſunt oris, labiorum, buccarum, linguae, vulnus, inflammatio, ulcus, excoriatio, tumor, ἀγκυλόγλωσσον (223.), mutilatio, etc.; dentium defectus, infirmitas, dolor; mandibularum fractura, luxatio, caries, ἀγκύλωσις; muſculorum iſtas partes moventium ſpaſmus, paralyſis, dolor, etc.; ſalivae denique defectus.

795. Deglutitionis etiam plures ſunt laeſiones. Aut enim iteratis crebro nixibus incaſſum fatigat, aut dolet et laborioſa eſt, aut potionem duntaxat, non item offas, aut has modo, nec illam, transmittit, caduntve in aſperam arteriam deglutienda, aut per os naresve redeunt. Multiformis vitii ſedes quaerenda in lingua, palato, tonſillis, uvula, pharynge, larynge, oeſophago, ventriculo, maxillis, vertebris, vicinis, muſculis harum partium, dolore, vulnere, inflammatione, excoriatione, ulcere, tumore, luxatione, fractura, carie, mala conformatione, ſpaſmo, paralyſi, anguſtatione varia (209.), ſiccitate, affectis. Inde enim aut inanem deglutiendi cupiditatem naſci, aut impediri materiae deglutiendae meatum, aut legitimam potentiarum motricium actionem, directionem, deficere neceſſum eſt.

796. Singultienti videtur momentanea convulſione concuti ſtomachus et proximum huic diaphragma, cui juncta ſimul glottidis conſtrictio faciat, ut ſubito inſpiratus aër ſonum cieat. Singultus igitur, ſpaſmis annumerandus, easdem quoque agnoſcit cauſas (743. et ſeq.); ſed quae oeſophagum, ventriculum, aut

diaphragma, propius, ſeu aliunde per conſenſionem, afficiant: uti ſunt avida ingurgitatio offae ſiccioris, aſperae, hauſtusve grandioris, acris; immodica ventriculi repletio aut irritatio ab acri cibo, potu, medicamento, veneno, vermibus, peregrinis, materie corrupta, acida, bilioſa, putrida, rancida, contagioſa, arthritica, catarrhoſa, ulceroſa, cancroſa, ſphaceloſa, ibidem nata, aut ex aliis partibus eo delata; ſuſceptum ad καρδίαν frigus; oeſophagi, ventriculi, vulnus, inflammatio, eryſipelas, exanthemata, ulcus, excoriatio, etc.; diaphragmatis inflammatio, vulnus, contuſio, intenſior per riſum fletumve agitatio; coſtarum inferiorum, vertebrarum vicinarum, cartilaginis enſiformis, fractura, luxatio, diſtorſio; inteſtinorum quoque, meſenterii, hepatis, ſplenis, pancreatis, uteri, etc. affectus inflammatorii, doloroſi, ſpaſmodici; turbae denique vehementes nervoſi generis ob animi pathemata, evacuationes quaſcunque nimias, encephali laeſiones, motus febriles, molimina critica, etc. Quo circa patet, alias materiem ſubeſſe, quam natura ſymptomate auxiliari excutere conetur; alias nocivis motibus ſalubre nihil intendi.

Quan-

Quando autem juncta cum ſtomachi, tum ſepti transverſi, convulſio hic datur, an non et levior habetur ſpecies, quae ad alterutram modo partem pertineat?

797. Vomitus eſt eorum, quae cavo ventriculi continentur, aut ex vicinis viſceribus illuc congeruntur, violentia et faſtidioſa per guttur ſuperius expulſio. Hanc efficiunt motus ſpaſmodici faucium, oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum, diaphragmatis, muſculorum abdominalium, in molimen laboris angorisque plenum modo mirabili conſpirantes. Facit autem eximia ventriculi mobilitas (175.), ampliſſimusque cum corpore univerſo conſenſus, ut irritamenta ad vomitum pene innumera ſint, aliaque domeſtica huic viſceri, alia extranea. Ad priora referre licet, quaecunque mole, pondere, tenacitate, acrimonia, impedito per pylorum trajectu, fibras ventriculi laceſſunt: tum et, quae irritabilitatem (190.) inducunt, vitia ejusdem topica. Poſterioris generis ſunt affectiones partium quoquo modo conſentientium, tam vicinarum, quam remotiorum, faucium, oeſophagi, diaphragmatis, hepatis, veſiculae fellis, ſplenis, meſenterii, pancreatis, inteſtinorum, omenti,

ti, peritonaei, renum, ureterum, veſicae urinariae, uteri, encephali; ſenſorii communis, nervorum. Praecipua igitur inter cauſas ſingultus (796.) modo enumerata ſunt, vomitusque itidem datur idiopathicus, ſympathicus, cum materie et ſine ea. Quum vero intenſitatis gradu inter ſe diſcrepent vomitiones, credibile quoque eſt, non omnium, quas ſupra diximus, partium nixus ſpaſmodicos ſemper illuc requiri, litemque adeo diſſentientium ſuper hac re auctorum componi poſſe. Nauſea, quae faſtidioſa eſt ventriculi commotio, vomitum intentans, iisdem, ſed lenioribus cauſis debetur: uti et materiae ventriculo contentae eructatio.

798. Aër, aut huic ſimilis ſpiritus elaſticus, cavo primarum viarum oberrans, ructibus flatibusque, qui hanc officinam maxime infeſtant, materiem dat; quae huic aut a foris invehitur, aut intus ex ingeſtis, indigenisve, efferveſcentia, fermentatione, putredine, calore, motu inordinato, evolvitur. Haec ubi collapſu, convolutione, compreſſione, ſpasmodica praeſertim conſtrictione gulae, ſtomachi, pylori, inteſtinorum, coërcita aliquamdiu, novis interim copiis forte

te aucta, aut in majus volumen dilatata, parietes claustri sui urgens, ab his vicissim repressa, tandem liberata, impetum concipit, datoque exitu sursum, deorsum, prorumpit, aut loco saltem mota, per tubum alimentarem vagatur, ructus, flatus, crepitus, borborygmi, nascuntur. Augere propulsionem voluntarii diaphragmatis et musculorum abdominalium nixus quoque possunt. Inde uti pro vario impetu muta aut sonora fit explosio; ita, quod prodit, flatulentum pro diversitate materiae, quam una rapit, aut fomitis, unde oritur, siccum, humidum, acidum, putridum, rancidum, biliosum, etc. esse debet. Ingesta igitur cruda, flatulenta, ferventia, acria, titulo cibi, potus, medicamenti, veneni, vitia coctionis, putror in primis viis undecunque natus, vermes, motus inordinati, spasmodici, horum viscerum, ex animi pathemate, affectione cardialgica, iliaca, colica, hysterica, hypochondriaca, epileptica, alvi profluviis, cholera, vomitu, haemorrhagiis, vulneribus, febribus, etc. quin et impedimenta liberi trajectus ex obstructione, obstipatione, compressione, etc. huc faciunt, sive flatuosum elasticum subministran-

ſtrando, ſeu prohibendo, ne tranquille ire, redire, exhalare, abſorberive queat.

799. Alvus adſtricta, etſi plerumque robuſtam notat ſanitatem, exceſſu tamen aegris ſaepiſſime moleſta eſt, morbosque non minus intendit, quam creat (558.). Cauſas habet aut inſuperabilem materiae reſiſtentiam, aut impedimenta trajectus, aut vitium in viribus motricibus. Naſcitur ergo a fece ſicciore, compacta, dura, copioſa, picea; muci lubricantis defectu aut tenacitate, inteſtinis obſtructione, obſtipatione, compreſſione, ſpaſmo, concretione, intus ſuſceptione (247.), contorſione (256.), imperviis, in motum retrogradum actis, nimia dilatatione infirmatis, reſolutis, perforatis, diſſectis; bilis abſentia, inertia; motus animalis defectu; diaphragmatis et muſculorum abdominalium actione languente, aut impedito nixu.

800. Ileus, volvulus, in quo pertinaciter occluſae alvo violenta accedit vomitio quorumcumque in tubo alimentari contentorum, etiam ſcybalorum, clysmatum, ſuppoſitoriorum, ano immiſſorum, ex (797. 799.) intelligitur. Ponit enim fere obſtaculum in canali inteſtinorum ab inflammatione, abſceſſu,

ſcirrho,

ſcirrho, cancro, calculo, fece dura, vermibus, hernia, contorſione, ſuſceptione, compreſſione, concretione, convulſione, natum, quo tranſitus devolvendae materiae intercipitur; ſimulque ſupervenientes motus ſpasmodicos illarum partium, quae ad vomitum faciunt, ſurſum directos. Quin et hi ſoli, ſine obſtaculo, quandoque cauſam faciunt.

801. Diarrhoea, ventris profluvium, eſt frequens et copioſa materiae liquidae per alvum excretio. Ingeſta, magna ſuccorum, qui ſecundum naturam in primas vias aſſidue feruntur, copia, late patens ventris cum reliquo corpore commercium, quo fit, ut ex omni parte huc devehi multifarii humores queant, materiem exhibent et abundantem et diverſiſſimam, unde tum ſtupendae profuſionis ratio inveniri, tum praecipuae hujus ſymptomatis differentiae conſtitui poſſint. Datae materiae expulſionem facit motus inteſtinorum inordinatus et citatior, qui et obſtat, ne ora meatuum bibula liquorem, ut decet, abſorbeant. Irritabilitas ideo inteſtinorum praeprimis huc confert, et quidquid hanc aut mole diſtendente, aut acrimonia laedente, aut turbis aliunde invectis, laceſſere poteſt:

ex-

excedens cibi potusve copia; flatulenta, acria ingesta, aut intus nata; impetus humorum major in primas vias versus; aliarum excretionum, maxime cutaneae, suppressio; absorptionis impedimenta ob vascula aphthis, pustulis, sordibus, spasmo, occlusa, aut mesenterii obstructiones; bilis acrior, atra bilis, serum hydropicum, materies febrilis, inflammatoria, purulenta, ichorosa, putrida, cancrosa, catarrhalis, contagiosa, scorbutica, arthritica, undecunque huc delata; nervosi generis commotio ab animi pathemate, frigore suscepto, dentitione, puerperio, affectibus hystericis, dolorosis, convulsivis, etc.

802. Dysenteria, intestinorum difficultas, diarrhoea dicitur vehementi dolore, *tenesmo* ac torminibus molesta. Dejiciuntur liquida, acria, putrida, foetida, sanguis, pus, sanies, bilis, serum, mucus, atra bilis, modo cum stercore liquato, interdum et cum carunculis, membranis, etc. Subest igitur aut prius ex suis causis nata, aut acritudine permeantis materiae post inducta, intestinorum inflammatio, excoriatio, exulceratio. Fontem vero acrium haud minus multiplicem esse, quam valde diversam naturam, ex (801.) facile innotescit.

803.

803. Tenesmus, qui frequens eſt et implacabilis deſidendi cupiditas, nixu majore, quam qui materiae excernendae moli reſpondeat, aliquid pituitae, cruoris, puris, ſaniei, bilis, ſtercoris etc. exprimens, dyſenteriam ſaepe comitatur. Fit autem, cum ima inteſtini recti ſedes, cui ſenſum urgentis fecis natura indidit, immodice irritatur. Unde acria quaevis, abſtergentia, rodentia, tum quae duritie ſua defricant, aut acumine laedunt, aliena quaeque, oſſa, calculi, vermes, undecunque huc devecta, in culpa eſſe poſſunt: maxime tamen affectae partis ex inflammatione, excoriatione, eryſipelate, ulcere, fiſtula, vulnere, haemorrhoidibus, nimia ſenſilitas, quae ſi prioribus accedit, tormentum quoque intenditur. Quin et conſenſione id malum ſupervenit variis veſicae urinariae, urethrae, perinaei, inteſtinorum, uteri, vaginae, vitiis ac nervoſi ſyſtematis turbis.

804. Lienteria, levitas inteſtinorum, adeſt, cum ingeſta tam celeriter per primas vias ad anum delata foras ejiciuntur, ut nec coctionem, nec corruptionem, exſpectent. Cauſas habet ventriculi et inteſtinorum inertiam ad coquendum, cum nimia irritabilitate (190) conjun-

ctam, pylori laxitatem, impeditam vasculorum absorbentium actionem (801.). Refectionis autem inopia aegrum aut trahit, aut praecipitat.

805. Fluor coeliacus, chylosus, levior lienteriae (804.) species, succum alimenti utilem, utcunque coctum, una cum fece, ano exturbat. Integris igitur ventriculi viribus, in solis intestinis vitium subest, quo et celerius, quam par est, contenta deorsum propellant, et materiem chylosam sugere nequeant, labe vel ad oscula vasorum absorbentium, vel altius, haerente (801.). *Ex aliorum sententia, eaque credibiliore, coeliacus fluxus cachexiae speciem repraesentat, in qua cum corporis extenuatione humores diuersae indolis demittuntur, non chylosi. Ciborum enim fastidium, chylusque tantae et tam copiosae excretioni non sufficiens, illaesa post mortem vasa chylum resorbentia reperta, caet. origines morbi a veteribus stabilitas veriores euincunt. Errorem albus excretorum color induxit, huic tamen morbo non constans, nec a chylo, sed a bilis vitiata actione, vt in ictero, caet. pendens* *).

806.

*) *Conf.* RVD. AVG. VOGELII *diss. fluxus caeliaci genuina notio atque ratio exposita.* Götting. 1768.

806. Cholera eſt tumultuoſa primarum viarum agitatio, qua, quidquid continent, ſurſum deorſumque violenter ejicitur. Malum ſtomachi atque inteſtinorum commune, ex vomitu ac diarrhoea compoſitum, ſimilibus etiam motibus ſpaſmodicis (797. 801.) debetur. Hos vero cient innumera: cibi potusque copia, acritate, flatulentia, fermentatione, pinguitudine, corruptione, refrigeratione, gravantes, ſtimulantes; hinc ſaburra acida, putrida, rancida, bilioſa, verminoſa, diaetae erroribus contracta; medicamenta draſtica, emetica, purgantia, mercurialia; venena; bilis exundans; atra bilis turgens; materies rheumatica, arthritica, febrilis, ſcorbutica, ſudoris, perſpirationis, menſtruorum ſuppreſſorum, exanthematum repulſorum, huc converſa; turbae ab aeſtu ſubitisve aëris mutationibus, animi motibus, graviditate, dentitione, dolore, malo hyſterico, hypochondriaco, concitatae.

807. Cholera, diarrhoea, dyſenteria, quas ſiccas vocant; quia flatulentum potius, quam humidum eſt, quod excernitur; ex dictis (798.) intelliguntur.

808. Contingit etiam aegris inſciis aut invitis ſtercus elabi: quae alvi incontinentia eſt, morbisque deliriofis, ſpaſmodicis, paralyticis, aut ſingularibus ſphincteris ani vitiis ſupervenit.

809. Quando autem fex alvina de urethra, perinaeo, vulva, aut ſede quavis alia ventris pelvisve, praeter anum, excernitur, id fit vulnere, ulcere, fiſtula, vel prava conformatione, quae contentis inteſtinorum alienam viam pandant.

Vitia Mictionis.

810. LOTII, quod intra veſicam eſt, excretio ſupprimitur multiplici veſicae, aut urethrae, affectione, quae aut vim expellentem tollat, aut impedito meatu effluxioni obſtet. Hujusmodi ſunt innumera: veſicae, colli veſicae, inflammatio; hujus ſpaſmus; fibrarum illius muſcularium ad contractionem efficacem impotentia ob immodicam a lotio retento diſtenſionem, ἔυϛυσμα (203. 1.), herniam (238.), rupturam, vulnus, gangraenam, nervorum ex medullae ſpinalis laeſionibus reſolutionem, membranas ulcere, puſtulis, tuberculis, cruſta calculoſa, callo, fungo, aliove tumore obſeſſas;

ſeſſas; meatus urinarii inflammatio, ſpasmodica conſtrictio, obſtructio a calculo, pituita, grumo, pure, verme, etc. (209. 1.), obſtipatio a callo, cicatrice, fungo, tuberculo, tumore glandularum muciparararum, carunculae ſeminalis, varicibus, puſtulis, etc. (209. 2.), collapſus (ibid. 4.), coalitus (ibid. 6.), diſtorſio. Saepe tamen origo mali vicinis modo partibus debetur: uti cum rectum inteſtinum dura fece, flatu, tumore haemorrhoidum, inflammatione, abſceſſu turget; uterus foetu, ſanguine, ſero, aëre, diſtenditur, aut ſcirrho, cancro, oſteogenia, prolapſu, laborat; aut in vulva, perinaeo, proſtata, veſiculis ſeminalibus, muſculis vicinis, cole, hujusve praeputio, ejusmodi vitia inſunt, quae collum veſicae vel urethram comprimere queant. Atque haec ἰσχουρία eſt, quam hodie veram vocant.

811. Eſt et alia, notha dicta, in qua lotium excerni nequit, quia nihil ejus intra veſicam confluit, vitio renum aut ureterum, quod vel ſecretionem lotii ſuſpendit, vel, ne ad veſicam perveniat, impedit. Igitur ſanguis copia, ſpiſſitudine glutinoſa, phlogiſtica, atrabilaria, peccans, vaſa ſua diſtendens, obſtruens,

vicina comprimens, aut vaſis elapſus, in thrombum coactus, inflammatio, abſceſſus, ſcirrhus, tabes, ſpaſmus ab acri huc delato, aut aliunde per conſenſum natus, obſtructio a muco, pure, ſabulo, calculo, verme, torpor a contuſione, diſtractione, gangraena, nervorum reſolutione, compreſſio a variis partium adjacentium vitiis, in culpa eſſe ſolent; modo labes eadem, aut diverſa, in utrumque renem, vel ureterem, una inciderit. Facit autem proximus iſtarum partium nexus, ac mutua actionum, quas exercent, conſpiratio, ut altera alteram facile in mali communionem pertrahat.

812. Cum moleſte redditur urina, nec ſine magno conatu, aut et cum dolore, haec urinae difficultas, δυσȣρία, dicitur, quae uti gradus quidam eſt ad iſchuriam (810.), ita ex ſimilibus vitiis, at levioribus, ortum habet. Si dolor abeſt, cauſa mali debetur aut ſpiſſitudini materiae, quae expellitur, mucoſae, purulentae, cruentae; aut undecunque natae meatus anguſtiae; aut flaccidae rigidaeve virium expellentium inertiae. Sin et una dolet mictio, acre ſubeſt lotium, acribusve alienis, vel aſperis, mixtum, aut partium

ex

ex muci defectu, inflammatione, ulcere, nimia senſilitas.

813. Στραγγυρία, teneſmo (803.) ſimilis, eſt aſſidua ad mejendum proritatio et conatus, quo tamen parum modo lotii, et guttatim, plerumque cum ardoris ſenſu, exprimitur. Cauſae ex (803. 812.) intelliguntur. Primariae ſunt acrimonia urinae multiplex ex cibo, potu, medicamentis, venenis, materie febrili, catarrhoſa, arthritica, ſcorbutica, purulenta, ichoroſa, aliave morboſa, in veſicam undecunque depoſita; calculus atterens; muci defectus aut acritudo; veſicae, urethrae, inflammatio, excoriatio, ulcus, ſpaſmus; conſenſio denique cum inteſtino recto, ano, perinaeo, utero, vagina, etc. diverſimode affectis.

814. Urinae incontinens dicitur, cui lotium in veſicae cavo non moratur, ſed ſenſim ſine ſenſu et nixu, ſponte, jugi ſtillicidio, de urethra elabitur. Spurcum ſymptoma ponit facultatem, qua retinetur urina, plane abolitam, atque adeo impotentiam fibrarum, quibus oſtium veſicae comprimitur. Hanc inducunt paralyſis, vulnus, contuſio, dilatatio, ulcus, gangraena, calculus, vis in partu illata.

815. Altera hujus vitii ſpecies eſt, cum ſcienti quidem, at invito, lotium expellitur, nec pro neceſſitate retineri, cum urget, poteſt. Oritur ex urina copioſiore, valde aquoſa, aut praeter modum acri; veſica ob inflammationem, herpetem, ulcus, excoriationem, muci defectum, ſenſiliore, ſpaſmo contracta, rigente, propter impedimenta externa non dilatabili, aut compreſſa; oſtii veſicae relaxatione (814.); accedente nixu diaphragmatis et muſculorum abdominalium in vomitu, tuſſi, riſu, partu, alvi egeſtione, teneſmo. Nec obſcura ratio, cur ſexui ſequiori, pueris, ſenibus, crebrius accidat. Intelligitur etiam involuntarium illud ſtillicidium, quod a mictione ſupereſt, lotiique reliquias tardius excernit, ſenio familiare, reſolutis, aut infirmatis, muſculis acceleratoribus deberi.

816. Immodici urinae profluvii, quod Διαβήτης vocatur, plures numerantur ſpecies, aliae quidem aliis rariores, atque ob id haud aeque certo ab omnibus agnitae. Etenim vel tenuis, aquea, urina ſupra potionum modum mingitur; vel quod profuſe excernitur, craſſius eſt, turbidum, albidum, veluti chyloſum; alias

alias et ſapore, odore, colore, melleo: quin perhibent, interdum, more lienteriae (804.), potum, prae ſiti, avide magnaque copia hauſtum, celerrimo per corpus, tanquam per ſiphonem, tranſitu, crudum, qualis ſumptus eſt, ad veſicam deferri expellique. Inde diſtinctio in verum et ſpurium diabetem, inque varios gradus. Origo quoque multum diverſa. Aquoſa humorum tenuitas (287. 354. 359.); ſpiſſitudo inflammatoria, atrabilaria (282. 284. 355. 361. 367.), mixtionem ſtabilem cum aquoſis aegre admittens; craſſamenti cum portione aquea juſto laxior cohaeſio (319.); acrimonia attenuans, diſſolvens, colliquefaciens (288. ad 317.), multiplex; aquoſa forte bilis inundatio (372.), mixtionisque hinc ac virtutis ſaponaceae deſtructio; pinguedinis et gelatinae nutrientis (376. 379.) in laticem aquoſum degeneratio; magna laxitas vaſculorum renalium; impetus humorum verſus renes vehementior ob abuſum diureticorum, veneris, ſuppreſſam excretionem cutaneam, habitum corporis externum ſtrictiorem, obſtructiones aliorum viſcerum, aut irritationem quamcunque attrahentem, praecipue huc faciunt. An

etiam humor ex atmoſphaera attractus ſtupendae urinarum copiae materiem quandoque ſuppeditat?

Vitia Excretionis Cutaneae.

817. SUDORIS magna profuſio, quam nec intenſior corporis exercitatio, aut animi motus, nec calor externus, aut quae ingeſta ſunt vel foris admota, creant, cauſas agnoſcit ſpiraculorum cutis laxitatem, circuitum ſanguinis acceleratum, auctum verſus ſuperficiem impetum, aquoſae materiae in humoribus abundantiam (287. 354. 359.), aut nimis facilem a craſſamento ſeceſſionem (318. 319.). Unde patet, quibusnam morbis, et quam diverſo omine, ſupervenire ſoleat.

818. Singularium quoque ſudorum, qui de aliqua modo parte corporis prodeunt, tum et calidi, frigidi, tenuis, viſcidi, diverſimodo colorati, ſanguinei, foetidi, etc. ratio ex (817. 657. 658. 659. 401.) aliisque locis haud difficulter eruitur.

Sym-

Symptomata functionum Sexus.

819. NATURA, quae ſingulis hominibus ſuam in conſervanda vita et ſanitate operam praeſtat, erga humanum genus quoque benefica, in propagationem ſpeciei haud minore cura incumbit. Inde condita ſexus diverſitas, partiumque, quae ad hunc pertinent, ac functionum, quibus ſuo quaelibet modo ad procudendam prolem concurrunt. Videri quidem poſſit, facultatem iſtam a ceteris ita ſejunctam eſſe, ut vix in morbis conſiderari mereatur, quando nec vigor ejus in omnem aetatem cadit, nec languor adeo conſtanter reliquam oeconomiam turbat. At dantur tamen in hoc etiam ſyſtemate vitia, quae aut in ſemet ipſis, ob actionis, quam laedunt, dignitatem, momentoſa cenſentur, aut quia aliorum morborum conſecutiones ſunt, noxasve aliis quoque functionibus inferunt, nequaquam praetermitti debent.

Sexus Virilis Actiones Laeſae.

820. CUM vir ad arrigendum languidus aut impotens eſt, id fit vel facultatis, qua nervus intenditur, torpore, vel

ſemi-

ſeminis, quod pro ſtimulo eſt, inopia, vappidave inertia. Utrumque vitium aut proprium modo eſt genitalibus, aut his aliunde per conſenſionem infertur, plurimisque et diverſiſſimis naſcitur cauſis, quae facile ex (196. 198. 752. ad 755.) eruuntur, additis praeſertim, quae huc etiam facere queunt, tum inſtrumentariis, tum humorum, affectionibus ante expoſitis. Quum vero et imaginatio, et animi perturbationes, tantum hic valeant, nec quivis virium gradus ad hanc actionem ſufficiat (819.); mirum non eſt, id ſymptoma permultis ſeſe morbis adjungere.

821. Incidit et coles in oppoſitum violentae tentiginis affectum, qui ubi citra veneris appetentiam eſt, priapismus dicitur; ſatyriaſis, ſi cum inexplebili ſalacitate: huic voluptas, illi dolor comes. Spasmis (743. 747.) annumerandum vitium, ut hi, aut idiopathicum eſt, aut ſympathicum, cauſisque ſimilibus (744.) naſcitur. Praecipuae ſunt liquoris ſeminalis abundantia, acritudo, virulentia; genitalium inflammatio, exulceratio, irritatio a vicinis partibus, maxime veſica urinaria, ac inteſtino recto, inflammatis, diſtentis, roſis, calculo attritis, acri

trans-

transeunte ſtimulatis; dolor podagrae, lumbaginis; morbi convulſivi; deliria laſciva.

822. Impotentia ad ſemen ejaculandum debetur aut hujus defectui, aut impedimento meatuum, aut virtutis motricis imbecillitati. Fit igitur multiplici vitio organico teſtium, epididymidum, vaſorum ſpermaticorum, deferentium, veſicularum ſeminalium, proſtatae, urethrae, penis, ſcroti, inguinum: hisve integris, nervus languidior (820.), aut paralyſis muſculorum acceleratorum, cremaſterum, ſphincteris ani, ceterorumque, qui huc forte faciunt, in culpa eſſe poteſt. An et abundantia ſeminis lautiore vitae genere inducta nonnunquam incuſanda? Videtur.

823. Incontinentia ſeminis laborant, quibus ad primam ſurgentis membri rigiditatem, aut per nocturnas ex imaginibus pollutiones, ejicitur, aut citra voluptatem effluit continuo ſtillicidio, miti, acri, virulento, in gonorrhoeis. Semen copioſum, turgeſcens, tenuius, acre; genitalium major irritabilitas, nimiaque ductuum laxitas, immoderatae veneris, praecipue juvenilis, inprimisque maſturbationis, conſecutiones (562.); abſtinentia

nentia nimia (563.); abusus aphrodisiacorum, diureticorum; virus venereum, id mali inducere solent.

Sexus Foeminei Symptomata.

824. MENSTRUA sanguinis per uterum evacuatio uti sexui sequiori, certa aetate, secundum naturam accidit, ita cum non satis mature provenit, aut citra graviditatem vel lactationem, ante tempus, supprimitur, id praeter naturam est, ac multimodis saepe nocet (565.). Consequitur autem sanguinis ex praegressis evacuationibus, inedia, morbis gravioribus, inopiam, crassitudinem, inertiam aquosam, impuritatem scorbuticam, cachecticam, quin et plethoram; solidae compagis debilitatem aut rigiditatem nimiam; circuitum languidiorem, intensiorem, aut aliorsum male directum; vasorum viscerumque abdominalium ex cacochylia, cacochymia, infarctum; vasorum uterinorum torporem, obstructionem, rigiditatem, coalitum, constrictionem a spasmis, frigore suscepto, adstringentium abusu, compressionem ab externis, internis; impedimenta denique effluxionis multifaria ab ore uteri, vagi-

nae

nae meatu introituve, conſtrictis, obſtipatis, compreſſis, coalitis, imperforatis. Imminutio aut tardatio menſium haud abſimiles cauſas agnoſcit.

825. Immoderata contra profuſio, ſuis quoque noxis haud raro in junioribus, vetulis, nuptis, innuptis, infeſta, variis debetur cum ſanguinis, tum canalium uterinorum, vitiis: uti ſunt ſanguinis abundantia, orgasmus, tenuitas, acritudo, motus incitatior, ad genitalia maxime directus, reditus per venas ob ſpasmos, obſtructiones, conſtrictiones, impeditior, vaſorum debilitas, irritatio, eroſio, ruptio, ex fotu ſuppedaneorum, veneris abuſu, crebra praegnatione, abortu, partu laborioſo, contuſione, ulcere, heterogeneis utero contentis, ſtimulis externis, etc. nata. Inde et quae haemorrhagiam uterinam pariunt, intelligere licet.

826. Quae ſuppreſſa menſtrua quandoque conſequi, horumque vicaria eſſe ſolet, errans ſanguinis per aliena loca evacuatio (401.) ex perverſa motus humorum directione ac incongrua reſiſtentiarum ratione naſcitur, collatisque adeo (203. 2. 411. 824.) facile explicatur.

827.

827. Mensium decoloratio, leucorrhoea, fluor albus, gonorrhoea in foeminis, vel cacochymiam consequuntur universalem, vel affectiones topicas genitalium, seri in his colluviem, contextum flaccidum, vasa debilia, inertia, mensium vitia, acre catarrhosum, scorbuticum, purulentum, saniosum, virulentum, aliunde advectum, aut hic natum, veneris abusum, salacitatem cohibitam, irritamenta quaevis interna, externa, quae affluxum ad has partes intendunt, aut et impedimenta, quae refluxui obstant.

828. Sterilitatem morbosam haec inferre apta: pudendorum, vulvae, vaginae, uteri, morbi angustiae et vitia organica, ob quae vir admitti nequit: uteri, tubarum, ovarii, ovulorum, compressio, obstructio, concretio, hydrops, ulcus, scirrhus, marcor, exsiccatio, induratio, relaxatio, inviscatio, conformatio perversa, defectus, et similia, quibus fit, ut semen masculinum rite recipi, subire, retineri, quo decet, permeare, suamque vim exserere, aut foemina, quod suum est, conferre haud possit: inde et menstruorum vitiositates fluoresque incruenti (824. ad 827.), venus immode-

moderata, intemperies frigidior, torpor (196.), irritabilitas enormis (190.), cacochymia aquoſa, glutinoſa, acida (283. 287. 307.), cachexia, obeſitas (394.), humorum inopia (393.), firmior corporis conſtitutio in viraginibus, et multa alia huc faciunt.

829. Praegnans occaſione multifaria abortum patitur; uti quamplurima ſunt, ſine quibus foetus ad maturitatem uſque utero geri nequit. Horum inter praecipua merito habetur legitimum foetus cum materno utero per placentam commercium; ut quo ſublato natura plerumque, ocyus, ſerius, ſarcinam ad frugem haud perventuram elidit. Quaecunque igitur ſive matris, ſive foetus, vitia placentam ante tempus ab utero ſeparant, inter cauſas abortionis numerare licet. In matre quidem eo confert plethora; impetuoſior humorum ad uterum affluentia; congeſtio immodica; aut et deficiens commeatus, nutrimentique ob inediam, evacutiones, motumve alio directum, detractio; cacochymia; turbae ingentes nervoſi generis ex animi pathematis, leipothymia, ſpaſmis, febribus, morbis gravioribus; vehemens corporis concuſſio, maxime ad uterum determi-

 nata,

nata, in ſaltatione, curſu, exercitatione, vectione, lapſu, tuſſi, vomitu, riſu, ſternutatione, ſingultu, vociferatione, coitu immoderato, petulantiore, etc.; nixus violenti in elevatione ponderis, extenſione artuum, excretione alvi, urinae, teneſmo; uteri compreſſio a conſtricto ventre, vicinisve partibus male affectis, contuſio, vulnus, inflammatio, eryſipelas, convulſio, laxitas, anguſtia rigida, humiditas mucoſa, contenta heterogenea, morbi alii. Foetus in culpa eſſe poteſt, cum juſto grandior fuerit, aut numeroſior, hydrope tumens, motu violento moleſtus, male ſitus, morbo inquietus aut languens, mortuus, ejusve placenta marcore, obſtructione, degeneratione in hydatides etc. affecta. Debilibus vero, irritabilibus, partum difficilem, ſaepius praeſertim abortum paſſis, malum familiare. Partus praecocis, quo foetus quidem vitalis, ſed ante conſuetum tempus, excluditur, cauſae hinc intelliguntur.

830. Praegnatio ultra naturae modum protracta, ſi reapſe obtinet, gracilem, imbecillum, extenuatum foetum, uterumve torpidiorem, videtur ponere: perpetua autem viſa foetu a morte arefacto,

facto, indurato, crusta gypsea obducto.

831. Quae partum laboriosum, δυςοκίαν, inferunt, vitia innumera aut ad parturientem pertinent, aut ad foetum hujusve secundinas. Priorum praecipua sunt, cum praegnans justo junior, annosior, primipara, delicatior, debilior, animo fracta, impatiens, irritabilitate aut torpore laborans, obesior, plethorica, humoribus exhausta, vitio organico, aut quovis alio morbo, affecta, conamina ad partum nulla, spuria, languidiora, nimis violenta experitur: uteri dein affectiones variae ex debilitate, contractione spasmodica, compressione a vicinis partibus illata, ruptione, situ obliquo, hysterocele (238.), orificio angustiore, indurato, calloso, contracto, distorto, tumore occluso, compresso, nimis sensili: vaginae quoque angustia, obturatio, concretio, excoriatio, siccitas et similia, quae viam transitus impediunt: pelvis denique arctior, male conformata. Foetus in causa est, si habitior fuerit, ventricosus, capite enormi, humerosus, deformis, languens, mortuus, situ perverso, extrauterinus. Alias placenta incongruae uteri sedi adhaerens, aut foe-

tum praevertens, praematura aquae puerperii ex ruptis ſecundis effuſio, umbilicus propendens, aut foetum implicans, etc. obſtaculo eſſe poſſunt. Nec infrequens eſt, cujusvis generis plura concurrere, tantoque magis difficultatem pariendi ex eo augeri.

832. Lochia puerperae immoderata, decoloria, parcius fluentia, aut plane ſuppreſſa, quas cauſas habeant, ex illis, quae de catameniis vitiatis diximus (824. ad 827.), innoteſcit.

833. Cum lac deficit, aut mammae ſuctionem non admittunt, foemina ad lactandum impotens redditur. Humoris ſani inopia ex inedia, vitiata concoctione, evacuatione quavis immodica, vires a morbo graviore, acuto, chronico, exhauſtae, uterus gravidus ſuccum alibilem ad ſe trahens, mammarum inflammatio, obſtructio, ſcirrhus, cancer, exulceratio, marcor, rigiditas, defectus, aut materiae ſubtractione, aut vitio organorum, lactis ſecretioni officiunt. Suctioni autem obſtant ductuum galactophororum a lacte in grumos ſpiſſato obſtructio, coalitus, papillae deficientes, nimis ſubſiduae, aut ob fiſſuras, vulnera, rhagades, inflammationem, ulcuſcula, juſto teneriores; quin et univerſi corporis major ſenſilitas.

De

De ordinandis morborum differentiis.

834. Atque haec hactenus de ſingulis ſymptomatibus. Quae ſi quis recte animo comprehenſa, pro multifaria concurſione ac ſucceſſione, quam alia atque alia inter ſeſe admittunt, et pro partium, in quas incidere queunt, diverſitate, diligenter perpenderit, ei quam plurimae occurrere debent formae, differentes, plus minus compoſitae, quae totidem diſtinctos morbos exprimunt.

835. Habet nimirum ſua morbus quilibet ſymptomata, ſibi propria, neceſſaria (87. 112.), ſemper eadem, quae et praeſentem declarant, et cum ex natura ejus profluant, inque diverſis ideo diverſa ſint, ab omni alio diſtinguunt. Neque profecto exiſtimandum eſt, illud, quo homines ab hominibus in ſtatu ſano diſcrepant, morborum naturas pervertere, aut turbas, quae in morboſis affectionibus ſe produnt, mutuam cauſarum effectuumque relationem poſſe abolere.

836. Tametſi igitur natura morbi forte lateat, aut variantes inter Medicorum opiniones ambigua ſit (416.); ex ſyndrome tamen ſymptomatum, quibus ſtipatur, haud minus certo eundem internoſcere, ſuumque ad titulum referre licet:

nec enim post cognitas demum naturas denominati plerique morbi sunt, sed post imposita nomina quaesitae naturae.

837. Atqui symptomata partem morbosi status evidentissimam efficiunt (88.). Prae ceteris ergo rebus, quae ad morbum pertinent, aptissima merito censentur, ex quibus characteres *pathologici* stabiles, iidemque manifesti, differentium quorumvis morborum constitui queant (417.): dummodo diligenti observatione, acrique judicio, quae necessaria sunt, sive temporaria (112. ad 117.), exquisite colligantur, ab adventitiis, non necessariis (114.), accurate segregentur, et quo sese offerunt, modo, concursu, ordine, sede considerate digerantur.

838. Quum vero et diversa morborum genera (837.) haud ita prorsus inter se discrepent, ut non et mutua detur aliorum cum aliis affinitas; licebit ideo ex illis etiam, quae multis generibus communia sunt, pari ratione (837.), per characteres rite limitatos, summa condere genera, seu classes numero pauciores, ad quas, utilissimo compendio, affinia quaeque genera referantur.

839. Quin et ulteriori in species distributioni hic locus erit; sicubi, quod in quovis genere (837.) diversum esse solet,

ratio-

ratione partium, in quas incidere poteſt, aut potentiarum evidentium, unde naſcitur, (*quae diſtributio priori* (837.) *ſubjuncta, ad curationem plurimum confert*) vel et ſymptomatum acceſſoriorum, aliarumve conditionum, ſeorſim ſpectetur.

840. Ex quibus (834. ad 839.) apparet, non eſſe, cur deſperent Medici, fore aliquando, ut ingens morborum humanorum numerus, exemplo ab Hiſtoriae Naturalis ſcriptoribus petito, in ordinem ſyſtematicum redigatur, qui ab omni hypotheſi ſectarumque commentis liber ſola nixus fideli obſervatione, claſſes, genera, ſpecies exhibeat, ſuis ſingula characteriſmis, certis, manifeſtis, plenis, interſtincta. Specimina jam nunc a Recentioribus edita potius in ſpem erigunt, tentaminibus multiplicatis haud defuturos ſucceſſus, remque tanti momenti, ac Bonis ideo omnibus exoptatiſſimam, ſic tandem feliciter perfectum iri, ut non in nominibus duntaxat morborum inveniendis *et in ſpeciebus multiplicandis* ſeſe utilem praeſtet, ſed praecipue facilem ad eruendas curationes viam expediat.

Differentiae morborum accidentales.

841. NUNC tandem de morborum differentiis, quas vocant accidentales (121. 418.),

418.), dicendi tempus locusque eſt. Poſſint hae quidem parum fortaſſis momentoſae videri, ut quae ad naturas morborum non pertineant: at eximiae tamen in praxi utilitatis eſſe, ipſa earum pertractatio docebit. Nec certe in ſyſtemate condendo (840.) praeteriri quoque debent. Praecipuas igitur in capita quaedam diſtributas exponemus, miſſis, quae ſubtilitate magis, quam uſu, ſeſe commendant.

Differentiae Morborum ab Origine.

842. Pro diverſitate originis morbi dividuntur in haereditarios, congenitos et acquiſitos vel adventitios.

843. Haereditarius dicitur, qui a parentibus ſimili morbo, hujusve ſeminio, affectis, geniturae vitio in ſobolem propagatur, gentilitia labe per plurimas quandoque generationes ad ſeros usque nepotes tranſeunte. Paternus ille aut maternus eſt, multiplex, alias mox a nativitate manifeſtus, alias poſtea, ſerius, ocyus, ſtato ſaepe vitae tempore, prorumpens. In tanta autem modi, quo gignimur, ignoratione, vix ſatis tutum fuerit, de ratione huius traducis aliquid aſſeveranter ſtatuere, nedum communem perpetuamque ejus ſedem aut in firmis partibus tantum, aut in humoribus, aut in

in viribus motricibus, ponere; quando vel ſimilitudo innocens, quam liberi cum parentibus habent, incomprehenſibilis eſt.

844. Quum foetui morbus in utero adnaſcitur, qui nec manifeſtus, nec in ſeminio latens, parentum alterutri, ante conceptionem, inhaeſerat, neque adeo ab haereditate (843.) repeti queat, is congenitus vocatur. Ejus hinc differentia ab haereditario liquet. Praeter cetera, naevi materni potiſſimum, vitioſitates organicae, monſtra huc referuntur, quorum origo phantaſiae matris (600.), injuriis foetui intra uterum illatis (599.), genitalis denique materiae labi primordiali (380.) tribuitur.

845. Adventitiis morbis, qui homini nato ex quibusvis potentiis accidunt, annumerandi, quos infans ex nutrice, cujus ubera ſugit, contrahit, haereditariis connatisque (843. 844.) ſimile quid habent, altiusque radicati monſtrant, iſta affectionum genera etiam per humorum vitia communicari poſſe (843.).

846. Memorabilis praecipue eſt diſtinctio inter morbos primarios, πρωτοπάθειαν, et ſecundarios, δευτεροπάθειαν, quae obtinet, cum morbus, ex ſua cauſa natus, aut perdurans, aut deſinens, alius generis morbum ex ſe producit. Se-

cundarius tamen cum ſymptomate non confundendus (97. 105. 109.); licet ceterum parem habet rationem, nec minus multiplices ſaepe, quam ſymptoma ſymptomatis (95. 96.), ſucceſſiones. Inde ejusdem morbi, prout vel primario naſcitur, vel ex diverſis aliis, variae exſurgunt ſpecies, quas inter ſeſe diſtinguere, cum in praxi, tum in hiſtoria morborum condenda (839.) apprime neceſſarium eſt. Huc etiam pertinent, quae de morbo a cauſa externa, vel interna, producto (58.) perhibere Practici ſolent, et quae de ſeminiis praeter naturam ſupra (617. ad 622.) propoſuimus.

847. Pandemii porro dicuntur, qui ex communi cauſa oriundi per populum aliquem graſſantur. Sunt autem vel endemii, ſingulari regioni addicti, vernaculi, plus minus perpetui; vel epidemii, ἐπιχώριοι, qui, cum ex communi quidem, at inconſueta, cauſa profluant, non niſi ad tempus ſeſe exſerunt, *vel ſtationarii.* Conſtat igitur, iſtis generibus ſubeſſe vitia earum rerum, quae in communi vitae uſu ſunt, aëris potiſſimum, aquarum, victus, etc. manifeſta, occulta, familiaria, inſolita, inquilina, exotica; novos ſic morbos inauditosque nonnunquam ſeſe efferre, cognitorum alias mutari ingeni-

genium moresque, nec tamen adeo indiſcriminatim iis affici quoscunque, ut non quandoque in certae conditionis homines duntaxat ſaeviant. His oppoſiti morbi diſperſi, quos ſporadicos vocant, non ex communi quadam cauſa, ſed ex uniuscujusque hominis proprio vitio et errore nati, diverſorum generum ſunt.

848. Quae diverſis anni temporibus accidunt, aëris, cibi, potus, vitae generis, mutationes totidem quoque potentiae ſunt, aliis aliisque morbis excludendis aptae. Horum inde diviſio in vernales, aeſtivos, autumnales, hyemales; qui tamen et ipſi multum variant, ut ſuo quaevis tempori viciſſitudo congrua aut incongrua fuerit. Epidemiorum (847.) praecipue notabilis eſt differentia, quae binis debetur anni periodis ſolſtitialibus; cum hae inde a meta quaeque ſua, hiberna aut aeſtiva, aliquouſque provectae nocivas vires exſerunt, ſibique proprias creant morborum populariter graſſantium conſtitutiones, longe diverſas ſaepe, quin et inter ſe pugnantes, ſuo ſingulas aequinoctio maxime vigentes. Unde in vernales modo et autumnales recte diſtinguuntur.

849. Nec contemnenda eſt, quae a temperamentorum diverſitate petitur, morborum differentia. Conducit certe pluri-

plurimum ad regundas ſingularium hominum ſanitates. Et quanquam de ſede ac ratione temperierum magna eſt inter auctores diſſenſio, non diffitentur tamen eas dari, et ſeminiorum vim habere (614. 615), propriaque idcirco eſſe affectionum genera, in quae quis ob iſtam corporis ſui conditionem magis propendeat (78.).

850. Huc quoque referuntur variorum vitae generum morbi, illi maxime, quos artificum vocant. Momentoſa, nec pro dignitate adhuc evoluta, claſſis originem debet partim materiae, quam quis quotidie tractat, qua inquinatur, quave infectum aëra ſpirat, aut ſibi perpetuo circumfuſum habet; partim poſituris, motibus, contentionibus, quibus in opere ſuo utitur. Hi fontes ſunt, unde, quae ad hoc thema pertinent, depromere licet. Videantur (440.441.442.486.501.ad 531).

851. Aetatum morbi audiunt, qui ex eo, quod cuique aetati proprium eſt, quoque alia ab alia differt, oriuntur. Hos igitur declarat ſeries mutationum in partibus firmis, humoribus, viribusque motricibus, quas duratio hominis inde ab ortu ad obitum usque ex naturae inſtituto ſubit (612.).

852. Ante nativitatem quidem morbi obtinent ſeminis ac foetus uterini, qui, hae-

haereditariis (843.) aut congenitis (844.). annumerandi, inde quoque intelliguntur.

853. Recens natus quum maximas ſubito mutationes a partu ſubeat, corpore prius perpetuo calore humido foto, molliſſimo, valde irritabili, organis atmosphaerae, reſpirationi, circuitui mutato, egeſtioni, nondum adſuetis, ſyſtemate pulmonali, primis viis, muco, meconio, obſeſſis, ventre minus a foris fulto, umbilico reſecto, multifariis patet affectionibus, a quibus paulo provectior deinceps fere immunis eſt.

854. Infantiae, ob corporis laxitatem ac teneritudinem (853.), ſceleti praeprimis et articulorum infirmitatem, primae digeſtionis inſtrumenta debiliora, voracitatem, uſitatum alimenti genus, vitam otioſam, humorum abundantiam, dentitionem, ſui morbi naſcuntur. Inde et, qui pueritiam ad pubertatem uſque infeſtant, intelligere licet: debentur enim ex vario victu natis cruditatibus, cacochyliae, vermibus, cacochymiae, ſuppreſſis excretionibus, calculo, ſenſilitati magnae, circuitui incitato, incremento ac evolutioni partium.

855. Iuvenes ex ſanguinis copia impetuque majore, ac aucta quidem, nec ſatis tamen roborata corporis compage, quin

quin et ex maturescente genitalium organorum vigore, aegrotant.

856. Aetati constanti vis vitae valida, solidorum robur, sanguis densus, polychymia, obesitas, morbos pariunt.

857. In corpore senili solida siccescunt, tubuli concallent, nervi marcent, vis vitae ac movendi sentiendique facultas elanguescit, circulatio torpet, calor nativus defervet, excretiones tardescunt, humores mucosa, salina, terrea fece impuri, subtilioris materiae defectu vappidi, vitiantur. Ex his plurimorum malorum, quae senectutem comitantur, origo facile perspicitur.

858. Ceterum nec inutile est notasse, morbos, qui ex congestione humorum nascuntur, maximeque naturae molimina, quibus, quod superfluum noxiumve in humoribns succrevit, foras expellit, aut ex systemate circulationis ejectum in parte quadam singulari deponit, pro aetatum diversitate in diversas corporis regiones cum plurimum incidere; ut videas in junioribus partes superiores fere impeti, in adultis, quae in thorace et proxime sub hoc sitae sunt, in senescentibus ima ventris viscera ac artus. Neque tamen adeo vel constans, vel benefica semper haec lex est, ut prudenti animae consilio po-

potius, quam conditionibus mere corporeis attribuenda videatur.

859. Cum ſexus etiam ad ſeminia (613.) pertineat, pro hujus differentia morbi dividuntur in maſculinos et feminos, hique porro in morbos virginum, gravidarum, parturientium, puerperarum, lactantium ac vetularum, pro varietate conditionum, quibus natura ſexum ſequiorem ſubjecit. Lucem his affundunt, quae ſupra (820. ad 833.) habentur.

860. Denique et huc referre licet morbos congruos et incongruos; legitimos et ſpurios; tum qui materiales dicuntur, aut ſine materie.

Differentiae Morborum a Sede.

861. NATURA idem morbus, prout diverſas partes obſidet, ſymptomatibus, duratione, eventu, diſcrepare poteſt; hinc et diagnoſi, prognoſi, methodo medendi. Quare Medici intereſt ſedes morborum curate diſtinguere; nec ſua caret utilitate, quae ab hac conditione petitur, differentia.

862. Hujus claſſis ſunt morbi externi, interni; fixi, qui in una ſede morantur; vagi, qui ex parte in partem migrant; retrogradi, qui, cum aliquamdiu partes extremas obſederunt, his derelictis, introrſum recurrunt.

863. Prae ceteris tamen idiopathici et ſympathici notandi veniunt. Prioris generis ſunt, quorum cauſa in eadem parte reſidet, in qua ſymptomata ſeſe manifeſtant. Poſterioris, quum diverſa eſt cauſae ac ſymptomatum ſedes, nec propria, ſed aliena labe, per conſenſionem, pars aut functio laborat. Sympathicae igitur affectiones, more ſymptomatum (86.), haud ultra vitium, unde pendent, perdurant, eoque differunt a morbis ſecundariis (846.), quorum naturam demum conſequuntur, cum ſympathia in idiopathiam tranſit.

864. Conſenſus iſte quidem inter oeconomiae humanae ſyſtemata, functiones, partesque omnes univerſalis eſt: at propiorem tamen magisque peculiarem aliorum cum aliis inſuper dari certa obſervationum fide conſtat; etſi rationem ejus legesque haud ſatis liquido perſpiciamus. Credibile, non una modo, ſed pluribus niti conditionibus, harumque principem in genere nervoſo ſitam eſſe; deinde in ſyſtemate circulationis; porro in continuitate membranarum; tum in vaſorum communitate; forte et in fabricae aut humorum, quos partes ſecernunt, accipiuntve, ſimilitudine. Quin et huc facere

:ere poteſt vicinia partium, et collocatio leclivior, aut ex diametro oppoſita, actionumve aliqua cognatio. Prout igitur plura aut pauciora horum una concurrunt, ita varii ſympathiae gradus naſci videntur. Nec praetereunda vis vitalis (170.), quae cum et latiſſime per univerſum corpus diffuſa ſit, nec aequaliter tamen aut in ſingulis partibus, aut in quibusvis hominibus, vigeat (175. 176.), et ampliſſimo ſimul polleat conſenſu (178. 179.), quamplurimum ſane hic valere debet. Elucefcit inde, cur tam multifaria privatarum id genus conſenſionum differentia inter homines occurrat, aliique prae aliis magis, neque omnes eodem modo, ſympathice afficiantur.

865. Qui univerſum corpus obſident morbi, univerſales dicuntur; qui ſingularem modo partem, particulares. Illorum tamen duplex genus diſtingui poteſt; proprium nempe, cujus cauſa aut materies quoquoverſus diffuſa eſt; improprium vero, quod ſede quidem privata continetur, at turbis ſuis totam oeconomiam infeſtat. Quod igitur in hoc genere univerſale dicitur, alias ad affectus ſympathicos (863.), alias ad morbos ſecundarios (846.) referri debet. Eſt etiam,

ubi morbus univerſalis in particularem, aut hic in illum, omine vario, tranſit.

Differentiae Morborum a Curſu.

866. MORBUS quilibet, ſua ex cauſa natus, determinatas quoque ab hac acquirit vires, quibus et agat, et in agendo perſeverans curſum ſuum conficiat. Hunc igitur, pro differente morborum natura, et ipſum differre neceſſe eſt, nec duratione, celeritate, tenore, eundem ſingulis contingere. Ex quo differentiae perquam notabiles habentur.

867. Qui celeriter decurrunt, brevisque adeo durationis ſunt, breves dicuntur, ſi mites una fuerint; ſin vehementes et periculoſi, acuti. Hi porro pro celeritatis gradu diſtinguuntur in acutiſſimos, qui ultra quatriduum non excurrunt; peracutos, qui ſeptem diebus terminantur; acutos, qui tertia hebdomade; ſubacutos denique, aut acutos deciduos, qui ad XL. etiam dies ſeſe extendunt. Forte his addere quoque licet acutos recidivos, qui ſexageſimo demum die, aut et ſerius, plane deſinunt. Qui ultra hunc terminum protrahuntur, etiamſi ex acutis forte nati, longi vel chro-

nici

nici audiunt. Et multa quidem ſunt, quibus velocitas iſta, diſcriminis plena, acutorum debetur: natura mali, ſedes affecta, functionis laeſae dignitas, ſympathia, corporis intemperies, etc. maxime tamen turbae febriles in circuitu humorum. Unde, quos febris continua comitatur, morbi prae ceteris proprie huc referuntur.

868. Rurſus morborum alii tenore jugi a prima invaſione ad finem uſque decurrunt, continuique ideo audiunt: aliorum mitior natura, diviſo impetu, per repetitos quidem infeſtat inſultus, at mediis ceſſationibus interruptos; ut morbus ac ſanitas veluti alternent. Hi intermittentes. Hos inter et illos ambigunt continui remittentes dicti, vel exacerbantes, qui continue quidem, ſed per intervalla remiſſius, afficiunt.

869. Utriusque autem generis recurſuum intervalla, multiplici varietate, alia aliis breviora aut longiora ſunt. Ex quo novae iterum differentiae. Circuitus quoque ut regulares ſunt, in tempora aequalia, vel inter ſeſe analoga, partiti, aut irregulares, ordine incerto, morbi dicuntur periodici regulares, aut anomali; typici, aut erratici, vagi.

870. Inter periodicos (869.) febres quidem variaeque generis nervosi affectiones prae ceteris eminent. Quum igitur natura periodorum (70.) causam fere ponat non simplicem, sed ex pluribus conditionibus compositam (69.), quarum aliae perseverent, aliae temporariae adesse aut abesse possint; credibile omnino videtur, diathesin hic dari permanentem, quae seminii loco (75.) haberi queat, hujusque sedem esse in systemate nerveo; certe sensilitatis aut mobilitatis nimiae speciem argui posse, quae tamen sola aut nihil, aut mitius, agat; dari hinc etiam potentias nocentes (76.), quae illam quovis demum modo excitent, nec vero perpetuae sint, sed paroxysmo ipso mitigentur, tollantur, postliminio reversurae. Nihilominus difficile fuerit, cum naturam seminii, ut in diversis id genus morbis variat, determinare, tum potentias nocivas omnes singulasque, et qua quaeque ratione oriantur ac concurrant, exponere. Quin et dubitare licet, an non seminium semet ipsum propria vi aliquando excitare possit, absque novae potentiae accessione, saltem absque manifestae; maxime si quadam occasione semel motum conceperit, qui deinceps tantum modo

do iterandus ſit? Complicatio autem plurium diverſi generis periodorum, uniusque generis in aliud transmutatio, quae toties obſervatur, iſtam materiem vel magis quoque involvit. Nec hypotheſium, quae excogitatae ſunt, ulla adhuc ſatisfacit.

Differentiae Morborum a Gradu.

871. PLANTARUM animaliumque vitae aequiparanda morborum duratio ſuas, ut illa, aetates habet differentes, quos gradus vocare liceat. Etenim adoritur, creſcit, perſtat, decreſcit, tandemque deſinit morbus; nec aequabili ſemper tenore, ſed variato virium gradu per iſta tempora procedit. Inde ſtadii morboſi diviſio in principium, augmentum, ſtatum, declinationem ac finem, quae quidem non adeo morbum a morbo, ſed partes ejusdem morbi inter ſeſe diſtinguunt.

872. Principium, pro morbi diverſitate, brevius aut longius, neque hinc ad punctum temporis, quo quis aegrotare coepit, modo reſtringendum, inde a prima invaſione uſque ad notabile ſymptomatum incrementum aeſtimatur. Augmentum fit, cum morbus, numero ac

magnitudine ſymptomatum increſcente, aggravat ac multiplicat. Status, ἀκμὴ, tempus morbi vehementiſſimum eſt, quo ſummam virium conſecutus nec creſcit porro, neque tamen et minuitur. In declinatione, detritis morbi viribus, impetu deferveſcente, ſymptomata miteſcunt, finisque inſtat.

873. Plerisque omnibus quidem morbis haec tempora (872.) competunt, modo cujusvis naturae conſentanea; maxime tamen illis, qui ſolutione ſalutari defunguntur. Tum vel ſymmetria quaedam inter diverſos gradus ſaepe animadvertitur praedictioni certae aptiſſima. Contra fatalis morborum exitus, criſes, metaſtaſes, mutatio in aliud genus, complicatio variorum, recta aut perverſa curatio, ordinem iſtum non raro abrumpunt, alienant, obſcurant. Acuti ac breves (867.) prae chronicis, febriles prae ceteris, ſua tempora manifeſtius diſtinguunt. Periodici (869.) autem et duo genera habent; univerſalia, quae ad morbi curriculum pertinent; particularia, quae ad ſingulos paroxyſmos.

Differentiae Morborum ab Indole.

874. Morbi indoles potiſſimum ex ſatellitio ſymptomatum, quibus ſtipatur, ſeſe prodit. Inde magnus dicitur, qui multis magnisque ſymptomatibus oeconomiam turbat, ſive una ſubſit periculum, ſive abſit: parvus contra ac levis, qui parum moleſtiae infert.

875. Benignus, etſi forſan magnus (874.), apta tamen medicatione tractabilis, nec funeſtis, nec inſolitis ſymptomatibus terret.

876. Quae de morbis praedicatur malignitas; quanquam haud raro ignorantiae aſylum, erroribusque Medentium operculum praeſtat; cum tamen reapſe detur, omnino conſiderari debet. Proprio ea ſenſu morbum notat, qui inſidioſe mitis, ſub phaenomenis non ominoſis, aggreſſus, ex improviſo graviſſimis ſymptomatibus naturae vires opprimit. Alias et talem, qui praeter morem ſuum inuſitata ſymptomata turbasque vehementiores, quam quae naturae ejus convenire videantur, excitat. Denique et refractarii, qui expertorum quoque remediorum vires eludunt, ac cura-

tione vel magis exacerbantur, huc referri solent.

877. Cadit autem ista feritas (876.) in morbos quidem acutos potissimum; sed tamen ad chronicos quoque pertinet, ortumque debet potentiis virulentis (486.), miasmatibus (469.), contagiis (498.), noxis epidemicis (847.), vitio humorum multiplici, irritabilitati (190.), torpori (196.), plurium morborum confluxioni, pravo aegrorum regimini, aut perversae curationi. Unde liquet malignos quidem recte dividi in virulentos, pestilentes et contagiosos; sed divisione non completa: neque enim potentiae nocentes modo spectandae, sed seminia quoque et accessoria.

878. Quum morbus, phaenomenis sibi consuetis stipatus, modo naturae suae conveniente, sua tempora (871.) percurrit, is regularis, exquisitus, dicitur: anomalus contra, qui symptomatibus insolitis, typoque ac decursu alienis, sese effert. Anomalia autem refractarium quid fere fovet, causasque cognoscit cum malignitate communes (876.), nec hujus ipsa plerumque expers est. Morborum, qui genuini, aut corrupti audiunt, eadem est ratio.

879. Hujus etiam loci cenſetur, quam recentiores haud temere ſuperaddiderunt, morborum diviſio in paſſivos et activos. Hi ſunt, quorum partem, nec raro praecipuam, ſymptomata activa (101.) conſtituunt. In illis naturae iſti motus abſunt, vitali quippe principio languente, aut per potentias nocentes oppreſſo. Conf. (98. ad 105. 630. 633. ad 649.).

Differentiae Morborum ab Eventu.

880. Interest Medici praeſcire, an morbus ſanari poſſit, nec ne; an in totum, an ex parte modo; an vi naturae, an artis auxiliis? Inde generalis morborum diviſio in ſanabiles et inſanabiles, varioſque utriuſque claſſis gradus. Sunt, qui naturae et artis poteſtatem ſuperant, abſolute inſanabiles; ſunt, qui artis tantum, non naturae, aut hujus, non illius; ſunt, qui ſanationem quidem admittunt, nec tamen integram, ſed parte quadam reliqua, aliove morbo ſubſtituto. Quandoquidem autem naturae virium modus in diverſis hominibus variat, nec ad ultimos artis fines adhuc perventum eſt; liquet, multum hic ambiguitatis ſupereſſe, neque omnes et ſingulos morbos, qui ad

unamquamque claſſem pertineant, exquiſite poſſe enumerari.

881. Qui morbus, poſtquam in ſpeciem ſanatus alquamdiu emanſit, denuo adoritur, recidivus vocatur, cum periodico (869.) nequaquam confundendus. Ponit tamen et imperfectam ſanationem, partemque adeo cauſae ſuae reſiduam (69. 70.), qua quovis demum modo aucta vel reſuſcitata revertatur (870.). Inde materies morbi haud prorſus devicta vel expulſa, debilitas, irritabilitas, torpor, a priore morbo relicta, una cum evitatione potentiarum nocentium neglecta, recidivas parere ſolent.

882. Morbi ſalutares a ceteris benefica indole diſtinguuntur. Tametſi enim moleſtias inferunt; tantum tamen abeſt, ut vitae ac ſanitati noceant, ut etiam proſint, liberentque a gravioribus malis, corpusque ſanius dimittant, quam aggreſſi ſunt. Huc referenda melior pars morborum activorum (879.), in quibus natura medicatrices ſuas vires (633. et ſeq.) pro oeconomiae ſuae ſalute explicat intenditque. His quippe motus excitantur, inordinati quidem, aſt illuc directi, ut, quae in corpore inſunt quoquo modo noxia, corrigantur, aſſimilentur, expellan-

lantur, aut ſaltem a partibus nobilioribus avertantur. Major autem hujus claſſis morborum frequentia ut ſaluti generis humani magnopere proſpicit, ita Medentibus haud parum commodi praeſtat.

883. His (882.) oppoſiti ſunt detrimentoſi, qui, vario nocumenti gradu vitae infenſi, alias cito vel tarde, certo tamen, absque ulla ſanationis ſpe, perimunt, abſolute lethales dicti; alias natura quidem ſua lethales, at vero promta rectaque curatione ſuperabiles ſunt; ancipites alii, non ſine periculo, modo in ſanitatem, modo in mortem, terminantur; aliorum accidentaria eſt lethalitas, ad conditiones externas internasve ſingularium hominum magis adſtricta; ſunt denique, qui etſi vitam non adimunt, pediſſequas tamen noxas poſt ſe trahunt ſanitati inimicas, ſaepe immedicabiles. Liquet autem hujus diſtinctionis magnam eſſe cum in praedictionibus, tum in medicina forenſi, utilitatem.

884. Generatim igitur morbi quidem, ratione eventus, quadrifariam modo inter ſeſe differunt: ſaneſcunt enim, aut occidunt; transeunt in alios morbos, aut immutati perdurant et ad mortem usque aliunde conſcitam inhaerent. Verum tamen,

men, quod animadverſione digniſſimum, uniuscujusque horum exituum ratio modusque multiplex eſt.

885. Perſeverantium ſedes ac natura talis eſt, ut, quae ad vitam faciunt, functiones haud perturbent. Sunt autem vel inſanabiles (880.), vel quos ſanare nefas, quia ſalutares (882.), longave conſuetudine familiares ſunt, aut curatione irritati etiam exacerbantur.

886. Morborum, in alios morbos transeuntium, ingens et numerus et diverſitas eſt. Duplex autem hic obtinet genus, alterum acceſſionis, alterum ſucceſſionis, prout vel permanet prior morbus, vel deſinit, quum alius naſcitur. Utriusque ſpecies differentes ex (621.628. 846.863.864.) intelligi queunt. Quin et liquet, in his non minus, quam in primariis morbis, differentes exitus (884.) locum habere.

887. Qui naturae viribus, artisve auxilio, ſaneſcunt morbi, vel correcto, quod ſubeſt, vitio, aſſimilata materie, motu in ordinem redacto, reſtituto circuitu, functionibus redintegratis, placide ſolvuntur; vel ſalutari nocentis materiae excretione deſinunt; vel mutata ſpecie in alium

alium abeunt morbum (886.), mitiorem, qui ſuo dein modo ad ſanitatem tendit.

888. Nec minus diverſa ſunt mortis genera, quam morbi lethales inferunt. Senectus, morbus naturalis, ſolidorum ſiccitate, rigiditate, feculenta humorum inertia, vi vitae fatiſcente, mortem naturalem neceſſario inducit. Veri morbi alias tetra humorum corruptione, viſcerum nobilium labe, proſtrato nervorum vigore, reſpiratione impedita, oppreſſis exhauſtisve viribus, circuitu ſufflaminato, cito tardeve interimunt; alias immoderata atque incongrua evacuatione, atque adeo fluidi vitalis inopia, aut et prolapſu in morbum deteriorem (883.), vitam peſſumdant.

889. Prae ceteris autem ſedulo animadverti merentur repentini ac perturbationis pleni morborum acutorum (867.) eventus, quae κρίσιες, judicationes, a veteribus appellantur; quum ſalutem mortemve aegrotantis decernant, excretione quadam, aut translatione materiae nocentis, poſt praegreſſas turbas, ſeſe ſubito manifeſtante, quam inſignis morbi in melius aut deterius mutatio proxime conſequitur. Inde criſes excretoriae, κατ' ἔκκρισιν, translatoriae, κατὰ μετάστασιν,

bo-

bonae, malae, perfectae, imperfectae, ſimplices, compoſitae, repetitae, perturbatio critica, materies critica, etc. praedicantur. Dierum quoque, in quos haec magis vel minus, diverſoque ſucceſſu, incidunt, varia poteſtas diſtinguitur: unde alii critici primarii, alii indices, alii ſubincidentes, alii vacui, dicuntur.

890. Quae (889.) ſi quis cogitet propria modo eſſe morbis activis (879.); ei apparere debet, aliquam hic dari ſimilitudinem mutui inter naturam et materiem morboſam conflictus (51. 99.), criſique decerni, utra pugnantium pars victura aut ſuccubitura ſit. Si vero et addas, non niſi febribus, morbisve, quos febris comitatur (867.), haec evenire; credas profecto, inteſtinam tunc ſubeſſe humorum, aut in toto corpore, aut in ſingulari parte, commotionem, motu vitali ac calore auctis excitatam, quae, conturbata ad tempus mixtione, vel in ſalutarem deſpumationem, vel in corruptionem pernicioſam exeat.

891. Quocunque tamen modo iſta fieri opineris; de re ipſa per fideliſſimas cum veterum, tum recentiorum, obſervationes tam certo conſtat, ut nullus videatur dubitationi locus relinqui: quamquam

quam negari nequit, rariora hodie inter nos criſium exempla proſtare: quod quidem caelo frigidiori ac intemperantiae in victu non ſolum, ſed vel magis etiam anticipanti turbantive medendi rationi et nimis a plerisque Medicorum neglecto obſervantiae ſtudio tribuendum.

892. Utrum vero et diebus criticis (889.) tuta fides? An naturae judiciis debentur? An potius ſuperſtitionis Pythagoricae commentis? Judex non eſto, niſi qui viderit, ſeriem criticorum dierum, a veteribus traditam, haud usquequaque hebdomadi congruere; didicerit porro ex periodis (867. ad 870.) temporibusque (871. ad 873.) morborum, perperam hos pro confuſis inconditisque naturae male ſe tuentis et de ſtatu ſuo dejectae effectis haberi; ex phaenomenis autem vulnerum, inflammationum, ſuppurationum, exanthematum, collatis ad ea, quae fermentatio, putrefactio, fructuum maturatio, incubatus, incrementa animalium, catameniorum periodi etc. exhibent, ſuccorum permutationes et commotiones ſuis ubique definiri gradibus ac ſtadiis; agnoverit denique, regulas generales exceptionibus non tolli, nec adeo ordina-

rias

rias naturae in ſanis aegrisve leges fortuita quavis aberratione infirmari!

893. Dum igitur lis ſub judice eſt, jubet profecto rei dignitas veros quoscunque artis magiſtros, junctis viribus, eo conniti, ut, ſemotis tantiſper rationum argutiis, exquiſitarum obſervationum exemplorumque pondere ſolide tandem dirimatur. Fallor, ni ſua conſtiterit HIPPOCRATI auctoritas, GALENO fides, NATURAE virtus et ordo.

F I N I S.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Obermei
Bucheinbände nach R
Neufahrnerstr. 8
8303 Rotte

Gaub, Hieronymus David, / Ackermann, Johann Christian Gottlieb, /
Grattenauer, Ernst C.,

Institutiones Pathologiae Medicinalis

Norimbergae 1787

Path. 466 b
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10471958-0
VD18 10215395